DE

DIALECTO BOEOTICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

REGIAE ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ANTONIUS FÜHRER

LIMBURGENSIS

GOTTINGAE,

EX OFFICINA ACADEMICA E. A. HUTH.

MDCCCLXXVI.

ADALBERTO BEZZENBERGER

AMICO.

§. 1. De fontibus.

Si quis Boeoticam dialectum e literarum monumentis componere vellet, non ita multum proficeret. Nam praeclarissimi poetae quamquam e Boeotis prodierunt, vulgo tamen patrio sermone non usi sunt: Hesiodi quidem Ascraei carmina Ionica dialecto composita sunt, ac Pindarus Thebanus Doricam usurpavit. Una Corinna *Θήβαια ἢ Ταναγραία, μαθήτρια Μύρτιδος* popularem sermonem non respuit et ob hanc ipsam causam de Pindaro quondam palmam tulisse dicitur. Sed quominus ex eius carminum fragmentis Boeotorum dialectum componamus, non modo paucitas eorum quae tradita sunt impedit, sed etiam quod fragmenta temporum iniquitate multis corruptelis inquinata ad nostram aetatem pervenerunt. Idem ad pauca illa pertinet, quae comici poetae, Aristophanes in Acharnensibus inde a versu 860, Eubulus ac Strattis apud Athenaeum (Meineke, C. Gr. II, 781. III, 208) nobis praebent, praeterquam quod comici Boeotos in fabulis introducentes puram et perfectam Boeotorum dialectum reddere minus studuerunt, quam quibusdam peculiariter dictis sermonem eorum notare. Nec multo plus quae veterum grammaticorum libri tradunt, nobis proficiunt. Nam ne de iis corruptelis dicam, quibus omnes libri manuscripti obnoxii sunt, saepe ipsos grammaticos inter Lesbiacam et Boeoticam dialectum minus accurate distinguere, quae Lesbiorum propria sunt, etiam Boeotis vindicare, formas antiquas et omnium quondam dialectorum communes Boeoticas habere, aliisque erroribus ductos falsa proferre, infra videbimus. Denique cum omnem grammaticorum cognitionem non e populi ore, sed e Corinnae carminibus haustam esse verisimillimum sit, etiam id semper tenendum est, vix iam grammaticorum

aetate carmina haec integra et incorrupta exstitisse. Itaque si quid grammaticorum tantum testimonio nititur, semper dubitare licet, quanta fides iis habenda sit, et si certum titulorum testimonium repugnat, hoc semper praeferendum videtur.

Titulorum igitur copia praecipuus fons est unde hauriamus. Primus *Boeckhius* inscriptiones Boeoticas ad a. 1825. notas in primo Corporis inscriptionum Graec. volumine collegit atque explicavit. Anno 1847. quum permultae post editum Corp. Inscr. Gr. vol. I. inscriptiones innotuissent, *C. Keilius* novam titulorum Boeoticorum collectionem edidit („Sylloge inscript. Boeot., cur. C. Keilius, Lips. 1847“), et anno 1864. titulos inde ab illo tempore repertos in Fleckeisenii annalium suppl. IV. p. 505 sq. addidit, quibusdam tamen gravissimis exceptis (Preller in Ber. d. sächs. Ges. d. W. 1854, p. 199 sq., Boeckh in Monatsber. d. Berl. Ak. 1857, p. 484 sq.). Plurimas denique inscriptiones *Decharme* in „Archives des missions scientifiques et littéraires“, II. série, t. IV, p. 483 sq., *Kaibel* in Hermae vol. VIII, p. 417 sq., praecipue vero *St. Kumanudes* (*Ἀθηναῖον σύγγραμμα περιοδικόν, Ἀθήνησιν* 1872—1875) ediderunt.

In hoc magno titulorum numero accuratius distinguendum est. Atque eae primum inscriptiones, quae vulgari sermone conceptae nihil Boeoticae dialecti praebeant, hic prorsus omittere possum. Reliquarum autem aetas certius nobis definienda erit. Quod ideo difficillimum est, quia nullas fere alias ansas habemus nisi literarum formam quibus scriptae sunt. De his igitur paucis disseram.

Ii tituli qui summae antiquitatis speciem prae se ferunt, iisdem fere literis, quibus pleraeque Doricae et mediae Graeciae et Peloponnesi inscriptiones, exarati sunt. Unius literae *λ* forma a Dorica discrepat eademque est, qua Attici et Chalcidenses utebantur (∠). Iam si quaerimus, quarum maxime literarum formae Doricae Boeoticaeque a Ionicis diversae sint, primum memorandum est, *E* literam *e* vocalem et brevem et productam eodemque modo *O* et *o* et *ω* vocales significare; *Ω* Ionicum ab hoc alphabeto prorsus alienum et *H* spiritus asperi signum est. Ac deinde *X* (+), *Φ*, ᛘ (Ƴ) in Ionicis inscriptionibus pro *χ*, *φ*, *ψ*, apud Dores Boeotosque pro *ξ*, *φ*, *χ* usurpantur et pro *ψ* vulgo *ΦΣ* scribitur. Exstant autem tituli

Boeotici, in quibus pro signo + = ξ alia scriptura et sine dubio antiquior Vϟ legitur. Kirchhoffius, qui de his rebus in libro „Studien zur Gesch. des griech. Alphabets" accuratius tractavit, Boeotos utraque scriptura usque ad Ionicas literas receptas usos esse iudicat, quia in titulo C. I. 25 certe post a. 400. exarato Vϟ scriptum sit. Sed cum minime verisimile sit, quarto saeculo quemquam tam barbaris literis et priscis tantum temporibus vulgatis, quales in illo titulo exstant, usum esse, recte Boeckhius mihi statuisse videtur, lapicidam, ut monumento priscae gravitatis fucum ac quandam quasi robiginem induceret, rudibus illis literis speciem antiquitatis affectasse. Itaque nulla est causa, cur usque ad Ionicam scripturam acceptam et + et Vϟ ad ξ sonum significandum scriptum esse putemus, sed quicunque tituli Vϟ praebent, antiquiores esse existimo, quam qui +. Eodemque modo et ϟ et ⊞, ⊕ antiquiores formae sunt, quam Σ et Θ. Sed cum certos antiquiorum literarum usus, fines constituere non possimus, hoc literarum discrimen levioris momenti est; maioris est, quae inscriptiones ante Ionicas literas receptas scriptae sint distinguere. Cuius antiquioris aetatis hae potissimum habendae sunt: C. I. 1592, 1599, 1637, 1639, 1640, 1642, 1643, 1644, 1646, 1647, 1649; K. S. n. 39^{d}, $53^{a, b, e}$, 56^{a-c}, 57^{b}, $60^{a, g}$, $62^{a, f}$, 66^{a-f}, $67^{a, b, d}$; K. ann. p. 533, 540; Ἀϑ. II, 405. III, 168 (n. 1—12). IV, 213, 296 sq.; Herm. VIII, n. 9—11, 18, 24, 26—28, 30; Dech. n. 22, 23, 24, 40, 41.

Certe hae omnes quinto saeculo vel quarto ineunte exaratae sunt. Nam cum ca. a. 400. apud plerosque Graeciae populos antiqua scriptura Ionicae cederet, vix est credibile, Boeotos antiquas literas diutius servasse; titulus C. I. 1569 a ca. ol. 111. (336 a. Chr.) scriptus iam Ionicis literis exaratus est. Valde autem dolendum est, quod antiquiores tituli nihil fere nisi singula nomina referunt; ampliores omnes Macedonicae Romanaeque aetatis habendi sunt.

§. 2. De accentu.

Veteres grammatici mirabili consensu affirmant, Aeoles accentum in ultima syllaba fugientes quam maxime retraxisse, idque de Lesbiaca quidem dialecto rectissime dictum esse constat. Sed cum grammatici Boeotos non minus quam Lesbios Aeoles esse existimaverint, facile concludas, hanc accentus regulam non modo de Lesbiaca, sed etiam de Boeotica dialecto praeceptam esse, praesertim cum nihil in libris eorum inveniatur, quod huic opinioni repugnet, nonnulli e contrario dissertis verbis idem de Lesbiis et Boeotis contendant. Nam ut Arcadii locum perturbatissimum p. 39 omittam, Const. Oeconomi *περὶ τῆς γνησίας προφορᾶς* p. 571 e veterum certe grammaticorum libris haurientis haec sunt verba: *ταῦτα δὲ τὰ ὀξυτονούμενα εἰς ω προφέρουσι κατὰ τόπους καὶ παροξύτονα αἰολικώτερον, Λάμπρω, Κρυστάλλω κτλ. ὡς τὰ Βοιωτικὰ Μούρτω ἡ Μυρτώ, καὶ ἡ Μυρτὶς Μούρτις*, et confer Theogn. An. Ox. II, 53 *καὶ τὸ τραπέζοιος Βοιωτιακὸν ὂν κατὰ τόνον καὶ κατὰ γραφήν*. Etiam ex Eustathii verbis p. 1613: *Αἰολικὸν ἦμι καὶ Βοιωτικῇ μεταθέσει τοῦ η εἰς τὴν ει δίφθογγον εἰμὶ, ἡμαρτημένον ἐν τῷ τόνῳ· τὰ γὰρ Αἰολικὰ δῆλον ὅτι βαρύνονται* suspicari aliquis possit, vulgo Boeotos fuisse *βαρυντικούς*. Attamen huic sententiae assentiri valde dubito. Exstant enim multa Boeotica nomina propria in vulgari lingua oxytona (*Βοιωτός, Ὀρχομενός, Κωπαί, Πλαταιαί, Θεσπιαί, Ἀσωπός, Ἑλικών* etc.), quorum omnium accentum multis testimoniis traditum a reliquis Graecis mutatum esse non probabile videtur. Deinde etiam illa in ipsis vocibus vestigia retracti accentus desiderantur, quae Lesbiaca dialectus prae se fert: nam *Μουρτίδα* ap. Cor. legitur, sed si Boeotis retrahendi accentus studium ut Lesbiis insitum fuisset, certe Boeoti, sicut Lesbii *κνῆμιν, σφράγιν* pro *κνημῖδα, σφραγῖδα* dixerunt, *Μούρτιν* dixissent. Denique grammaticorum doctrina inde nata esse videtur, quod legem apud Aeoles Asianos valentem ad omnes Aeoles transtulerunt. Itaque Boeotos a vulgari more recessisse mihi non persuasum est.

Vocales *η* et *υ* quae Boeotice pro *αι* et *οι* feruntur, accentum ab antepaenultima non magis retrahere quam vulgares *αι* et *οι* (*λέγομη, Ὅμηρυ*), vix est monendum.

Pars prima.

De sonorum mutationibus.

§. 3. De spiritu et de aspiratione tenuium.

Etiam in spiritus asperi usu Boeoti a Lesbiis discrepant, et vulgarem Atticorum Dorumque morem sequuntur. Itaque in antiquissimis titulis omnibus quibus exspectas locis asperi signum scriptum invenies: C. I. 1637 *Ηαγέσανδρος*, 1642 *Ηιππαρχία*, K. S. 58^{m} *Ηερμαία*, 62^{f} *Ηεξίας* (?), *Ἀθ.* III, 168 *Ηιαρίδαο*, IV, 213 *Ηιστιαΐδας*, 297 *Ηιπαρχα*, *Ηιππίξενος* (in lapide pro *H* perperam *ϝ* est), Herm. VIII, n. 10 *Ηερμαῖ*, K. ann. 595 *Ηισμενα* et *Ηισμινα*[1]).

Neque post ionicas literas receptas spiritus asperi vim debilitatam esse, multa tenuis ante asperum in aspiratam mutatae exempla demonstrant: *καθ' ἅπερ*, *καθ' ἅ*, *καθ' ἕκαστον*, *ἐφ' ἑκάστω*, *ἐφ' εἱμιολίοι*, et in commissura vocabulorum compositorum: *καθιστᾶ*, *ἀφιέντα*, *ἀφεδριατευόντων*, *Ἕφιππος*, *Ἄνθιππος* etc. Itaque minime dubito quin, quod Apollonius e Corinna affert, *ἀπ' ἑοῦς*, male traditum sit. — In quibusdam tamen vocibus (*οὐμές*, *οὐμίων*, *οὐμαί*, *Οὐρίαις*, *Οὐριεύς*, *οὖλη*, *οὔδωρ*) grammatici lenem pro aspero tradunt, idque fortasse recte se habet, non, ut Ahrensio videtur, „quia antiquiori sono, qualem exprimit Boeoticum *ου*, asper minus necessarius sit, quam vocali *υ*“, sed quia in vocibus, quae *ου* (vulg. *υ*) in fronte habent, asper plerumque non ex antiqua memoria acceptus, sed recentioris originis est, ab Atticis aliisque falsa aspiratione additus. Itaque etiam apud Boeotos asper necessarius est, si ex antiquiore *s* prodiit, sicut in Corinnae *πεντείκονθ' οὑψιβίας*. Sed in illis quoque vocibus (*οὐμές*, *οὔδωρ* etc.) fortasse asperi nota contra librorum auctoritatem addenda est, quia iis quoque vocibus, quae asperum antiquitus spirantis alicuius loco non habebant, Boeoti saepius ex Atticorum Dorumque more asperum praefixerunt; cf. *Ἵσμεινα*, *ἵππος*, *ἱαρός*, *Ἁγήσανδρος*

---

[1]) mirum est quod in tit. vetustissimo K. ann. 533 nunquam *H* litera legitur; fortasse pro *ΜΟ* (*μ' ὁ* = *μοι ὁ*) scribendum est *HO*; nam si *μ* recte se haberet, in altero versu *θῆκα* pro *θῆκε* exspectaretur.

etc. — Huc accedit, quod saepe consonantibus tenuibus asperum addunt: Ἀσχλαπιῶ pro Ἀσκλαπιῶ K. ann. 579, Ἀσχλαπίχιος Rhang. 1304, Χαφισοδώρω C. J. 1574, patronymicorum suffixum -ιχος pro -ικος, denique verborum terminationes νθι, νθη, νθο, νθω, αθη. Tantum igitur abest, ut Boeoti ab aspiratione abhorreant, ut e contrario eius amantissimi sint. Nec recte Boeckhius aspirationem in Ἀσχλαπιῶ etc. lapicidarum errori tribuit, cum non solum in omnium fere dialectorum inscriptionibus eaedem tenuium et aspiratarum permutationes inveniantur, sed etiam grammatici in lingua vulgari saepe tenues in aspiratas transiisse affirment. Pluribus de hac re Roscher disseruit in Curtii stud. I, 63 sq. et multis exemplis allatis demonstravit, in vulgari lingua Graeca iam ab antiquissimis temporibus tenues ad aspirationem inclinasse.

Memoranda est tituli quarti saeculi C. I. 1569 forma οὐθέν, in qua vel media contra vulgarem Graecorum morem subsequenti aspero (οὐδ — ἕν) in aspiratam mutata est; cf. Dech. 1, 2, 3 μειθενί; posteriore aetate etiam apud reliquos Graecos haec forma οὐθέν usurpatur.

Quaeritur possitne vice versa etiam tenuis ex aspirata fieri. Quod Roscher in dissertatione sua negavit; sed quo modo sexcenta illa exempla ab ipso allata, quae tenuem consonantem pro aspirata habent, Κρυσόθεμις, καῖρε, Κιονίς, εὐτυμία aliaque multa, explicet, non video. Similia in Boeoticis titulis inveniuntur: Καρίσανδρος pro Χαρίσανδρος C. I. 1574, Καλλικάρεις 1577, Φιλοκάρεις Ἀθ. I, 492; ἐφάπτεστη, καταδουλίτταστη Dech. 1; Τρέψιππος C. I. 1575 num pro Θρέψιππος sit, licet fortasse dubitare. Quibus exemplis probari mihi videtnr, non id quidem, apud Graecos aspiratas in tenues mutatas esse, sed hoc fortasse, recentiore aetate, qua lingua magis magisque ad aspirationem inclinabat, tenuium et aspiratarum pronunciationem tam similem fuisse, ut facile a lapicidis confunderentur; idque mirum esse non potest, cum etiam in nostra lingua tenuium pronunciationem ab aspiratarum non multum diversam esse itaque (exempli gratia) t et th elementorum magnam apud nos irrepsisse confusionem satis constet. — Nec vero huc pertinent Ἑρμάϊκος C. I. 1593, Ἀρήϊκος 1575, Ϝεργόνικος Ἀθ. I, 492, Ὀπλόνικος K. S. 56c, quippe quae tenuem non pro aspirata habeant, sed antiquitus traditam integram servarint etiam

tum cum vulgo suffixum *ικος* in *ιχος* mutatum fuit; *Καρώνιος* denique (K. ann. 563) non cum *Καρίσανδρος* pro *Χαρίσανδρος*, sed cum *Καράιχος* coniungendum esse videtur.

§. 4. De digamma.

Digamma diutissime apud Boeotos viguit et in inscriptionibus vel Romanae aetatis legitur. Exempla quae afferam haec habeo:

ϝάδων C, I. 1574, *ϝαδιούλογος Ἀθ.* I, 501, *ϝασίας* K. ann. 554, *ϝάσανδρος* K. S. 2, ann. 565;

quattuor haec nomina propria ad eandem radicem *σϝαδ* referenda sunt, cuius digamma etiam in aliis dialectis cognoscitur; cf. Locr. *ϝεϝαδηκότα*, Lac. *βάδομαι*, El. *βαδύ*, Lesb. *ϝαδέα* in Alcaei fragmento 31, *εὔαδον* ap. Hom., hiatum ap. Theogn. 52 *τῇδε ἅδοι;*

ϝανάξανδρος Ἀθ. I, 490, *ϝαναξανδρίδαο* Hermes VIII, *ϝαναξίων Ἀθ.* I, 490, (*Ἀναξίων* K. ann. 562 minus certa lectio est).

Conferas *ϝάναξ* in tit. Cypr., *ϝάναχς* in tit. Lac. Rhang. 317, *Εὐρυβάνασσα* in tit. Lac. C. I. 1323, *Βαναξίβουλος* in tit. Cret. 2572, 2577. Etiam in elegiacorum lingua vocem *ἄναξ* digammate instructam fuisse, notum est;

ϝάρμιχος Ἀθ. I, 490; nisi saepius certissime legeretur, suspicari liceret, *ϝάρνιχος* scribendum esse; fortasse conferendum est scr. varman, quod saepissime in nominibus propriis apparet, Indravarman etc.

ϝάρνων C. I. 1569 II, sed *Ἀρνεσίχα Ἀθ.* III, 164. Pro Boeckhii *Ἀρνοκλῆς*, C. I. 1593, Leake e meliore apographo *Ἀνιοκλῆς* scripsit. Hoffmannus Homericae voci *ἀρνός* digamma prorsus denegavit, cum per totam Odysseam ne unum quidem digammi indicium inveniatur; *ϝ* sane iam evanescere coeperat. Sed Iliadis loci *δ* 158, 435, *θ* 131 hiatu non excusato digammi usum demonstrant. Cf. denique *ϝρην* in *πολύῤῥην* et scr. uraṇa.

ϝασκώνδας K. S. 11; nominis originem eruere non possum.

ϝαστυμείδων K. S. 10 (ann. 572), *ϝαστίνιος* K. S. 2 (ann. 563), *ϝάστιος* C. I. 1569 c; compara Locr. *ϝασστός*, Arc. *ϝασστύοχος* C. I. 1520, Corcyr. *ϝάσστυ* C. I. 20; apud Homerum quoque *ἄστυ* digamma non eget.

ϝελάτια, ϝελατιῆος C. I. 1569 III (Ἀθ. IV, 292 Ἐλατεᾶ) ad radicem ϝελ pertinent, cuius digammi vestigia apud Homerum non desiderantur.

ϝεργαένετος Ἀθ. IV, 213, ϝέργων, ϝεργόνικος Ἀθ. I, 492; cf. El. ϝάργον C. I. 11, Lac. γαβεργόρ = γαϝεργός etc. In εὐεργέτας, Γεωργόφιλος (K. ann. 556) plane ϝ iam evanuit;

ϝεσπέρα K. ann. 520 recte a Keilio suppletum; ϝεσπάριος in Locr. titulo legitur; cf. lat. vesper;

ϝέτος C. I. 1569, -ϝέτιες K. ann. 551 et 553, Εὐϝετειρίς Ἀθ. IV, 298; etiam apud Locros, Eleos, Arcades, Heracleotas ἔτος digamma habet, similiterque in Lac. tit. C. I. 1241 διαβέτης legitur;

ϝίδιος Prell. p. 200, Dech. 1; cf. in inscr. Locr. ϝιδιόξενος, Heracl. ϝιδίαν;

ϝιδήμων C. I. 1574, ϝιδρίας C. I. 1575, a Boeckhio probabili coniectura restituta, ϝίστορες K. S. 3, ann. 522, a ϝιδεῖν formata esse liquet, cuius digamma quamvis in aliis titulis nondum repertum tamen linguarum comparatione notum est;

ϝίκατι C. I. 1569 III, ϝικατιϝέτιες K. ann. 551, 553; digamma etiam in diall. Lacon. (C, I. 1511), Heracl. (I, 38, 45, 63 etc., Curt. stud. IV, 449 sq.), Argiv. (C. I. 18) reperitur; cf. Hes. βείκατι, εἴκοσι· Λάκωνες. Nescio an Herm. VIII. pro Εἰκαδίων ϝικαδίων rectius legatur, id quod C. I. 2598 invenitur;

ϝισοτελία C. I. 1562 etc., ϝισοκλῆς Ἀθ. III, 164. IV, 213, ϝισοκλία Ἀθ. III, 164. Vocem ἴσος olim digamma habuisse iam ex Hesychii γίσγον i. e. ϝίσϝον et ex Homeri ἐΐσης apparebat;

ϝιλαρχίοντες (sic enim Leakius pro Boeckhii Εἰλαρχίοντες C. I. 1576, 1588 in lapide esse affirmat); cf. Hes. βειλαρμόστας, Ταραντῖνοι.

ϝοί C. I. 1565 e Boeckhii certissima coniectura, ϝός Cor. frg. 10 (Schn.); constat iam satis, haec pronomina ad stirpes σϝε, σϝο referenda esse; etiam apud Hes. et in tit. Cypr. ϝοί legitur; quae apud Hom. digammatis vestigia exstant, collegit Hoffmannus, Qu. H. II, 16, quae apud elegiacos et iambicos, Renner, Stud. I, 1, p. 149 s.

ϝυκία, ϝοικία C. I. 1563, 1564 etc., ϝυκέτας Dech. 1, ϝοικοσθένειος Ἀθ. IV, 294; cf. Locr. μεταϝοικεῖν, ἐπίϝοικος etc.,

El. *βοικίαρ*, Argiv. *πεδάϝοικοι* C. I. 14 et 19, Cypr. *ϝοῖκος*, *ϝοικίαν* in tessera Petiliensi C. I. 4, lat. vîcus.

ῥαψαϝυδός, *κιθαραϝυδός*, *κωμαϝυδός*, *τραγαϝυδός*, *αὐλαϝυδός* C. I. 1583, *υ* Boeotice pro *οι* scripto; quamquam in inscriptionibus eiusdem fere aetatis 1579 et 1580 *ἀΐδοντος* legitur digamma omisso; Lacones *ἀβείδω* pro *ἀείδω*, *ἀβηδόνα* pro *ἀηδόνα* dixisse docet Ahrensius II, 48 sq.

Διϝογένειος Herm. VIII, n. 18; simili modo *Διϝί* in galea Argivorum, *Διϝίθεμις* in tit. Cypr. legitur. In inscriptione recentiore C. I. 1568 digamma huius vocis iam evanuit (*Διΐ*); de *Διώνυσος* infra agam;

Ἐπιϝάλτεις K. S. 10 pro vulgari *Ἐφιάλτης*, unde elucet hoc nomen non cum *ἅλλομαι* (rad. sar) coniungi posse, sed potius cum rad. *ϝελ* (*εἴλλω*, *ἐάλην*);

Βακεύϝας in antiquissimo lapide C. I. 1693; Brugmanus, stud. IV, 132 saepius ante vocales pro simplici *υ* *υϝ* vel *υβ* scribi demonstrat „ad consonantem sonum ex *υ* se exserentem significandum", et praeter *Βακεύϝας* exempla affert *Γαρύϝονες* C. I. 7582, pamphyl. *ὀρούβω*; addo Cypr. *κατεσκεύϝασε*, *Εὐϝαγόρω*, *δυϝανοίη*. In *Εὐϝάρα* nomine, quod in nummo Boeotico exstat, digamma non ex *Εὐ-* prodiit, sed e sequentis *-αρα* etymologia (*ἦρα*, *ϝορος*, *οὖρος*) explicandum est. Ceterum in tit. 1583 *Εὐάρεις* legitur.

Denique nonnullae apud Hesychium glossae reperiuntur, quae Boeoticae dialecti speciem prae se ferentes digamma instructae fuisse videntur; nam Hesychii *γ* errore quodam pro *ϝ* positum esse probabilius mihi videtur quam quorundam opinio *ϝ* in *γ* transiisse: *ϝίαρος* i. e. *ἔαρος* (cf. lat. vêr pro veser, lit. vasara), *ϝῖξαι* i. e. *εἶξαι* (cf. germ. weichen), *ϝῖπον* i. e. *εἶπον* (cf. Cypr. *ϝέπιjα*, Hoffm. II, p. 23, lat. vox);

Fortasse commemore non supervacaneum sit, plurima exemplorum, quae modo attuli, recentioris aetatis esse, itaque firmatur, Boeotos digamma vel tenuissimam consonantem magna constantia ac firmitate diutissime tuitos esse. Nec dubito quin, si meliorem dialecti Boeoticae cognitionem haberemus vel maior saeculi quinti quartique praecique titulorum copia exstaret, multa alia antiqui digammi servati exempla inveniremus. In quibusdam sane vocibus etiam Boeoti digamma omiserunt, quamquam ne in his quidem paulo antiquiore tempore digamma

exstitisse nego. In vocabulo *κλέος* iam quinto saeculo *ϝ* evanuerat: *Χσενοκλία* *Ἀθ*. III, 169, *Προκλεῖ* K. S. 67[e], *Πασίκλεα* K. S. 66[d], *Προκλίες* K. S. 53[b], *...μοκλες* K. S. 60[g], cum in titulo Crissaeo, C. I. 1 *κλέϝος* legatur. Idem fere ad *ξένος* attinet: *Χσενοκλία* *Ἀθ*. III, 169, *Χσένοισι* K. S. 60[a], alia; cf. *Πρόξενϝος* ac *Ξενϝάρης* in titulis Corcyraeis, et *Ξένϝων* in vase Corinthio. E posteriore tempore digammi ab aliis dialectis retenti, apud Boeotos prorsus omissi exempla haec habeo:

ἕκαστος C. I. 1569 III; in Locr. inscriptione quater legitur *ϝέκαστος*;

ἕξ *Ἀθ*. III, 479, *ἕκτος* IV, 210, cf. in tit. Heracl. *ϝέξ*.

ὅρος C. I. 1569 c; in cippo Corcyraeo invenitur *ὅρϝος*;

ἄετος C. I. 1569 c; cf. *αἴβετος· ἀετός Περγαῖοι* Hes. et Et. M. 28, 7.

ῥίοντος C. I. 1569 c; cf. *ῥεύσω*, Cypr. *ῥόϝος*, Corc. *ῥοϝαῖσι*;

Οἰνοπίδας K. ann. (minus recte *Οἰνοχίδας*), cf. Cret. *Βοινοβίου* C. I. 2576, *Βοίνοπα* 2554;

Εὐίστιος C. I. 1574, *Ηιστιαΐδας* *Ἀθ*. IV, 297, ab *ἑστία* voce derivanda, quae digamma in glossa Hes. *γιστία* i. e. *ϝιστία* servavit.

De *εὐεργέτας* et *ἀείδω* iam monui.

-λαος (*Κριτόλαος*, *Θρασύλαος* etc.), et *-κόων* (*Πολιουκῶν*, *Ἀθ*. III, 171); cf. quod Priscianus I, 22. VI, 69 in tripode vetustissimo se *Λαϝοκόϝων* legisse narrat.

ἄα Hes.; cf. Lesb. *αὔα*.

Aliae denique nonnullae voces digamma non tam eiecerunt, quam *ϝ* in *υ* vocalem mutatum cum antecedenti vocale in diphthongum coniunxerunt *Ἀρχεναυίδας* C. I. 1571 pro *-ναϝίδας*; cf. *Ναϝπάκτιον* in inscr. Locr.;

Σαύμειλος K. ann. 554, *Σαυκράτης* C. I. 1588, *Σαυγένης* *Ἀθ*. IV, 213, quae ab aliis e *Σαο-* orta esse putantur, rectius ita explicantur, ut *υ* digammi litera vicaria sit;

βούων, *βούεσσι* C. I. 1569 III, *Βουκάττης* K. S. 49[d], eodem modo explicanda sunt; cf. lat. bovis.

Ἀμεύσιππος, *Ἀμευσίας* K. ann. 565 ab *ἀμεύομαι* derivanda (cf. lat. moveo). Alia omitto. Nec vero id praetereundum est, nonnunquam digammi detrimentum productione suppletoria compensari, itaque ex *εϝ* factum est *ει* (Boeotice pro *η*) in *ἱαρεῖος* i. e. *ἱαρέϝος*, ut revera in tit. Cyprico *βασιλέϝος* exstat.

In *Νιώνιος* K. ann. 552, *Κλιώνιος* C. I. 1574. *ω* ex *ϝο* ortum est (*ἄωρτο* = *ἄϝορτο*, *εἴωθα* = *εἴϝοθα*, *ὠτείλη*, *ὠρανός*); cf. *νεϝο-* in tit. Cypr.; eodemque modo in Boeotorum *Διώνουσος* Brugmanus *ω* ex *ϝο* prodiisse existimat; satis diu in *Διϝο-* digamma resedisse iam vidimus. Aliter Ahrensius (Philol. XXIII, 210) *Διώνουσος* productione suppletoria ex *Διόσνυσος* factum putat, Lesbiorum maxime *Ζόννυξος* respiciens [1]).

§. 5. De *σ*.

Non tam Boeoticae dialecto peculiare quam omnibus dialectis commune est, quod saepe omnibus temporibus *σστ* pro *στ*, *σσκ* pro *σκ*, paulo rarius *σσθ*, *σσμ*, *σσπ*, *σσχ* pro *σθ*, *σμ*, *σπ*, *σχ* scribitur, et verisimillime Boeckhius et Franzius statuerunt, hac scribendi ratione sonum quendam crassiorem (sch) literae *σ* ante sequentem consonam proprium exprimi. Quod in Boeoticis quoque titulis nonnunquam reperitur: *προσστατάων* K. ann. 516, *ἀρισστεύων* K. S. 60ᵃ, *Ἀρισστογίτων* C. I. 25, *Ἀρισστοφάνης* 1638, *Ἀρισστόδαμος* *Ἀθ.* IV, 213, *Κασστόδαμος* Dech. 24, *ἑκάσστω* 25, *Ἀσσκλαπιάδας* K. S. p. 39, *Μισσθίδας* *Ἀθ.* IV, 213. Sed tantum abest, ut in hac re lapicidae sibi constent, ut in iisdem titulis eaedem voces et duplici et simplici *σ* scriptae sint.

Aliam rationem *σσ* in praepositione *ἐσσ* (ante consonas emollitum *ἐς*) et in dativi plur. suffixo -(*ε*)*σσι* habet: altera forma inusitata quadam assimilatione ex *ἐκ-ς*, altera ex *-εσϝι* assimilatione nata est. Fortasse, nisi lapicidae error subest, eodem modo quo *ἐς*, *ἑσκηδεκάτη* *Ἀθ.* IV, 210 ex *ἑκσ-κη°* ortum est.

Simplex *σ* apparet in voce *μέσος* C. I. 1569c, quamquam Dores et Lesbii *μέσσος* (ex *μέθjος*) dixerunt; eodem modo *ϝισοτέλια* Boeoticum est, cum Lesbiaca forma *ἴσσος* (ex *ϝίσϝος*) ap. Hes. tradatur.

E Prisciani testimonio Boeoti „in quibusdam dictionibus" *σ* in asperum mutare solebant. Ac quamquam *μοῦἁ* pro *μοῦσα*,

---

[1]) Benfeyus formam primariam huius nominis *Διϝον-νυκτιος* statuit itaque „diei vel coeli noctisque filium" explicat (Nachr. d. Gött. G. d. W. 1873, n. 7 p. 187).

quod exemplum Priscianus affert, dubium est, quia K. S. 23 *μωσάων* recte legi videtur, tamen Prisciani doctrinam falsam esse non prorsus contenderim. Nam et in *ἀνέθιαν* pro *ἀνέθεσαν* C. I. 1588, K. S. 10 (cf. *ἔχευα*, *ἔχεα*, El. *ποιήαται*, *ποιήασσαι* etc.) et in *παρεῖαν* pro *παρῆσαν*, si Keilii lectio S. 3. integra est, *σ* excidit vel in asperum mutatum est

§. 6. De dentalibus.

Primitivum *τ* in lingua Graeca saepe in *σ* mutatur; plerumque id factum videmus ante sequens iota. Boeoti ac Lacones vulgo *τ* integrum servant; Boeotica exempla haec sunt: *Ἀφροδίτιος* K. ann. 547, cf. Lac. *Ἀρταμίτιος*, — *Θειδότιος* K. ann. 571, *Θιοδότιος* 564;

Ποτιδάων K. S. 12, Cor., *Ποτιδάιχος* *Ἀθ.* I, 492;

ϝίκατι C. I. 1569 et numeralia ordinalia cum *-κάτιοι* composita: *διακάτιοι* C. I. 1569 III, *πεντακάτιοι* *Ἀθ.* III etc.

Προβατία Theophr. hist. pl. IV, 11, quamquam idem fluvius C. I. 1569 c minus Boeotice *Προβασία* vocatur;

tum verborum III. pers. sg. et plur. act. terminationes: *τίθητι* Pr. 200, Dech. 1, *ἴειτι* K. ann. 521, *ἔντι* Arist. Ach. 902; plerumque in his formis *τ* in *θ* mutatum est: *ἔχωνθι*, *καλέονθι* etc.

ποτί vel per apocopen *πότ* (vulgo *πρός*); quomodo natum sit, e forma Cretica per metathesin orta *πορτί* videas (scr. prati);

τιός pro *σός* Apoll. Dysc. *π. ἀντ.* 135;

Εἰλέτιον; sic enim oppidum Boeoticum *Εἰλέσιον* ab ipsis Boeotis vocatum esse Ahrensius ex *εἰλετίας* concludit;

Τιλφῶσσα Strabo p. 411 (in hymn. in Apoll. *Τελφοῦσα*) fontis Boeotiae nomen, quod a *σίλφη* nomen traxisse multi putarunt, huc non pertinet, cum potius ex *Θαλπόεσσα* natum sit; cf. quod *Τέλφουσα*, *Τελφοῦσσα* nomen urbis Arcadiae ad aquas calidas sitae apud Stephanum Byzantium *Θάλπουσα*, *Θέλπουσα* appellatur. Vide denique Brugm. p. 100.

Rarius hoc *τ*, in reliquis dialectis in *σ* mutatum, ante alias vocales conspicitur: *τύ*, *τού* pro vulg. *σύ*, *τῦκον* pro *σῦκον*, Stratt.

Denique *τ* in *ὅπωτ*, B. Monatsb. 1857, pro *ὅπως* memorandum est.

Hoc primitivi τ pro vulgari σ usu memorabili Boeotica dialectus vel maxime et cum Doride coniungitur et a reliquis dialectis distinguitur.

Laconico more ϑ in σ mutari inde nonnunquam concluditur quod C. I. 1574 *Σιανορίδας* pro *Θεανορίδας*, ap. Aristoph. Ach. 906 *σιῶ* pro *ϑιῶ* legitur. At pro *Σιανορίδας* recte Keilius ann. 629 ex Lebasii apographo *Εὐανορίδας* emendavit, et unius Aristophanis autoritate nixus, cum *ϑιός* millies in inscriptionibus legatur, hanc mutationem (ϑ in σ) probare non possum.

E contrario Boeotos sibilantes vitare cum ex iis, quae modo dixi, tum inde intelligitur, quod, contra omnium Graecorum morem una Attica lingua excepta, semper fere ττ scribunt, ubi vulgo σσ invenis. De attica dialecto diu haec lex praecipiebatur, σσ vetustioris linguae esse, ττ recentioris, quia tragici poetae et Thucydides semper fere e codicum auctoritate σσ literis utuntur, Aristophanes vero et posterioris aetatis scriptores ττ. Quamquam hic scriptorum usus fortasse ita se habet, tamen legem ipsam falsam esse e constantissima inscriptionum consuetudine elucet, in quibus ne antiquissimis quidem literas σσ pro ττ scriptas reperies nisi in nominibus propriis Ionicarum maxime urbium. Quam ob rem de antiquiorum scriptorum usu ita iudicandum est ut „quamquam vulgari sermone apud Atticos ττ consonae semper usitatae erant, tamen scribendo Ionum, quippe qui et poeseos et prosae orationis auctores toti Graeciae praeiissent, exemplum secuti σσ praetulisse, deinde cum ipsi in dies magis artium et literarum principatum occuparent, ad suam indigenam ττ et pronuntiationem et scripturam rediisse putandi sint". (Cauer, de dial. Att. vetust.) Male igitur ii egerunt, qui σσ consonas in dialectis vel Attica vel Boeotica paulatim in ττ mutatas esse putarunt, neque eorum sententia rectior est, qui contrariam mutationem statuerunt. Nam utraque forma aetate non differt, sed ad eandem primitivam formam reducenda est, quae post linguam graecam in dialectos digressam ab aliis aliter mutata est, a Boeotis Atticisque paulatim in ττ, a Doribus, Lesbiis, Ionibus in σσ. Ac quaenam illa forma primitiva fuerit, iam diu viri docti intellexerunt: et ττ et σσ profecta sunt e τ cum spiranti coniuncto (τj, τϝ, τσ), quamquam ipsum τ non semper primi-

tivum, sed in multis vocibus ex alia dentali aut ex gutturali ortum est. — Exempla Boeotica haec reperiuntur: *ϑάλαττα* C. I. 1562—1565 etc., — *Φέτταλος* K. ann. 560 pro *Θέσσαλὸς*, — *Κίττυλος* *Ἀϑ*. II, 405; cf. *κισσός*; — *πέτταρα* C. I. 1569 III pro *τέσσαρα*; — *ὁπόττα* C. I. 1564, *Ἀϑ*. III, 482, pro *ὁπόσσα*; — *κομιττάμενοι* *Ἀϑ*. III, 482; cf. hom. *κόμισσε*; — *κατασκευάττη* C. I. 1568; — *καταδουλίττασθη* Dech. 1; — *ἐπιχάριτται* Arist. Ach. 884 ab Ahrensio e cod. Rav. restitutum; — *διαφυλάττει* B. Monatsb. 1857, — *Μυκαληττός* Strabo IX, 404, — *Ὑηττός* Preller p. 202, Paus. IX, 24. — *Μοττύλιος* Herm. n. 18 [1]).

Aliam rationem nomina propria *Ἀμφοττίς*, *Βίοττος*, *Βιόττεις*, *Ἐμπεδοττίς*, *Ἐροττίς*, *Φιλοττίς* etc. habent, quorum *ττ* non vulgari *σσ* respondet, sed simplicis *τ* geminatione in nominibus hypocoristicis usitatissima factum est. Idem in *Ἰκκώ*, *Θεοκκώ*, *Ξεννίας* aliisque. Cf. Fick, Griech. Personennamen p. LIX.

Simillime atque *ττ* pro *σσ* explicandum est, quod Boeoti vulgo *ζ* in mediis vocibus in *δδ* mutare dicuntur. Nam sicut *ττ* e *τj* (*τϝ*, *τσ*), ita *δδ* non ex *ζ*, sed assimilatione progressiva ex *δj* natum est; etiam in dialectis Laconica et Megarica vulgo *δδ* pro *ζ* exstat; cf. Lac. *γυμνάδδομαι*, Meg. *μᾶδδα* (ex *γυμνάδjομαι*, *μᾶδjα*); — Boeot. *ψαφίδδω* C. I. 1562, 1563, *Ἀϑ*. III, 475 etc. e *ψαφίδjω*, att. *φηφίζω*. — *γραμματίδδω* K. S. 2, 3 etc. — *ἱαρειάδδω* C. I. 1568, Dech. 1, — *δοκιμάδδω* K. ann. 516, — *ϑερίδδω* Arist. Ach. 948, — *κρίδδω* Stratt. (Mein. 437), — *σφάδδω*, *σαλπίδδω* Ann. Ox. IV, 325, — *ῥέδδω* Eust. 984.

Difficillimam autem quaestionem, quae in his vocibus primi *δ* origo sit, utrum in omnibus ad stirpem pertineat, an in quibusdam aut ex earum analogia ortum sit, in quibus *δ* stirpis elementum est, aut parasitice ut ita dicam *j* sequenti praefixum, cum adhuc sub iudice lis sit, hic iure omitto.

Corinna pro vulgari *φράζω* *φράττω* dixisse ab Eustathio traditur, idque *ττ* pro *ζ* (boeot. *δδ*) etiam in Hesychianis glossis sine dialecti nomine traditis *ἀφοπλίττονται*, *δηρίττειν*, *ἐπισίττειν*, *λαγαρίττεται*, *μέττον*, et in Doricis formis *βλιμάττομεν*

---

[1]) *Μέλισσος*, *Κυπάρισσος*, *Φράσσε*, quae nomina in titulis inveniuntur, ex aliis dialectis immixta sunt.

et ἀγκυρίττειν cognoscitur[1]). Nec video cur in his formis offendatur. Nam licet in hoc mediae in tenuem transitu corroborationem quandam non tam vulgarem videas, tamen eadem ne a communi quidem Graecorum lingua aliena est, sed et in adjectivi βραδύς comparativo βράσσων (βράττων) et in multis verbis apparet, quae primitivam mediam in praesenti ante ϳω ita corroborent, ut formae in -ττω pro -ζω ex δϳω existant: σφάττω (ἐσφάγην), ἁρμόττω (ἁρμογή), quamquam etiam σφάζω et ἁρμόζω non desiderantur; ἀλλάττω, τάττω al. Nec dubito quin hic transitus eo potissimum facilior fuerit, quod reliquorum verborum in -ττω analogia ad formarum confusionem certe non minimi momenti fuit.

Verum in fronte vocabulorum, si vulgaris lingua δϳ in ζ mutat, Boeotica dialectus jota eiecto unum δ retinet. Cuius rei exempla a grammaticis referuntur Δεύς, Δάν, δυγόν, Δῆϑος pro Ζεύς etc., et in inscriptionibus reperiuntur: Δεύξιππος K. ann. 558, 564, K. S. 2, — Δωίλος K. ann. 556, — δαμιώοντες Dech. 1, — Δαλίων Ἀϑ. III, 164 (δᾶλον· ζῆλον Hes. huc verisimillime pertinet). E codicum autoritate Arist. Ach. 911 ἴττω Δεύς legitur et in Corinnae frgt. 14 idem δ pro ζ traditum est, cum pro διανεκῶς, quod nunc exstat, potius δανεκῶς scribendum esse ipsum metrum luculente doceat. — Eandem mutationem Laconicam quoque esse memorasse sat est.

Sed Boeoti, qui hoc modo vulgare ζ vitarunt, alio loco ipsi, id quod valde mirandum est, ζ crearunt: Διόζοτος Ἀϑ. I, 501, Θιόζοτα Ἀϑ. III, 164, Θέζοτος Ἀϑ. IV, 294, Θεοζότιος K. ann. 560 pro Διόδοτος etc.; eodem modo C. I. 1569 b. et 1578 legendum est. Quomodo hoc ζ factum sit, quaerenti mihi minus probabile videtur, Διόζοτος etc. ex Διόδϳοτος ita exstitisse, ut post δ parasitice ϳ oreretur, quamquam ad hoc ϳ parasiticum probandum fortasse Νικοδιωρος C. I. 1574, Πινδαρίοιο, προξένιον aliaque ex ipsa Boeotica dialecto afferri possunt. Sed cum et Διόςδοτος et ϑεόςδοτος apud reliquos Graecos certissimis exemplis confirmata sint, non dubito quin Boeotorum ζ ex σδ factum sit (cf. Keil, Syll. p. 51, Rh. M. 19, 619). In Διόςδοτος eadem radix διϝος- quae in εὐ-διέσ-

---

[1]) Utra mediarum, dentalisne an gutturalis, in radicibus lateat, ad hanc quaestionem nil refert.

στερος, εὐ-διεινός = εὐ-διεσ-νός, lat. inter-dius, diur-nus, scr. divasa etc. cognoscitur; difficilius est de *θεος-* in *θεόςδοτος* iudicatu; equidem *σ* ex *θέç-δοτος* (*θέζοτος*) forma iusta ratione facta (cf. *θέςφατος* etc.) et *διόςδοτος* perverse in *θεόςδοτος* irrepsisse puto.

§. 7. De gutturalium et labialium mutatione.

In compluribus vocibus labialis conspicitur pro aliarum dialectorum dentali aut gutturali: *πέτταρες Ἀθ*. III, 479, C. I. 1569 III pro att. *τέτταρες*, Lesb. *πίσυρες*, lat. quatuor, goth. fidvor etc. *πετταράκοντα* C. I. 1569 III; — *ὅπωτ*, cf. ion. *ὅκως;* — *Βελφοί Ἀθ*. III, 479 pro *Δελφοί;* cf. lat. galba; (sed *ἀδελφιός* K. S. 9, quamquam eiusdem stirpis est); — *Φέτταλος* K. ann. 560 pro *Θέτταλος;* — *βανά* pro *γυνή* Hes., Cor. 12; — *βέφυρα* pro *γέφυρα* Stratt. — In *ὄκταλλος* pro vulg. *ὀφθαλμός* (Maitt. ed. Sturz, 270; cf. lat. oculus), — *γλάχων* Arist. Ach. 840 pro *βλήχων*, — *πρισγεῖες Ἀθ*. III, 479 pro *πρεσβεῖς* (cf. quod Dores grammaticis testibus *πρέσγυς* dixerunt et in Cret. titulis *πρεῖγυς* legitur) Boeoti antiquum sonum gutturalem servarunt. Nam omnium horum vocabulorum gutturalem primitivam esse e cognatarum linguarum comparatione apparet. Ac quomodo explicandum sit, quod nunc labialis, nunc dentalis exstet, iam diu viri docti intellexerunt; cf. G. Curtius, Grndz.

§. 8. De aliis consonarum mutationibus.

In nomine *Πλαῦχας λ* pro vulgari ac duriori *ρ* exstare videtur; cf. *Πραῦχος = ΠράϜοχος*. Eademque *λ* et *ρ* mutatio in Graeca lingua saepius invenitur: cf. *ναύκραρος — ναύκληρος, βρύω — βλύω, ῥάκος — λάκος* etc. —

Nonnunquam consonantes inter vocales tam molliter pronunciatae esse videntur ut prorsus exciderent: *σ* enim hoc modo eiectum iam in *παρεῖαν* et *ἀνέθιαν* vidimus; addendum est, etiam *γ* hoc modo excidisse in *ἰών* pro *ἐγών* (cf. Tarent. *ὀλίος* pro *ὀλίγος*, Hom. *σίαλος* et *σιγαλόεις*). Ne vero *κ* in *ἀποδεδό-ανθι* C. I. 1569 desideres, confer *πεφύ-ασι, βεβά-ασι*, quae eodem antiquo more formata sunt.

§. 9. De consonantium assimilatione.

Venio nunc ad assimilationem et primum quidem illam, qua nasales et in mediis vocibus et in fine vocabulorum subsequentibus consonis accommodantur. Notissima est res et omnibus dialectis communis, ut *ν* ante labiales in *μ*, ante gutturales in *γ* nasale vertatur, itaque etiam in Boeoticis inscriptionibus plurima huius accommodationis exempla reperiuntur: *τὰμ Μωνυχίαν, ἐμ Βελφοῖς, τῶμ προσστατάων, τὸμ πρῶτον, ἐμ πελτοφόρας, καττὰμ μαντεῖΐαν; — Παμπίραο, Παμβοιώτια, ἔμπρακτος, Μελάμβιος; — σουγγράφω, σουγχωρεῖσι* etc., neve inde, quod saepe hanc legem in inscriptionibus neglectam vides, etiam in pronunciando eam neglectam esse concludas: *Ἐνπέδων, ποττὰν πόλιν, ἐν πελτοφόρας, ἀνγραψάνθω, Πουθανγέλω, Ἄνκουλος, Πάνφιλος, Ὀλιουνπίων.*

Miram assimilationem in voce *ἔπ-πασις* pro *ἔν-πασις* videmus, ad quam Ahrensius iam comparavit, quod in nummis Campanis et *Καμπαν* et *Καππανο*, et in Creticis nummis *Λαμπαίων* et *Λαππαίων* legitur.

Vel magis mira assimilatio in *καγγᾶν* pro *κατγᾶν* est (cf. ag-ger, ag-gredior etc.).[1]

In Hesychianis denique glossis *ἑττία* pro *ἑστία* et *ἕττασαν* pro *ἕστασαν*, si quidem recte Ahrensius has glossas Boeoticas existimet, *σ* sequenti *τ* assimilatum est; cf. Lac. *βεττόν*, Tar. *Ἄφραττος*, Att. *Ἀττική* = *ἀστική* (?). — Huc etiam *ἴττω* pro vulgari *ἴστω* et *ἐπιχαρίττως* pro *ἐπιχαρίστως* pertinere puto; nam ex ipsa forma primitiva *ἴδ-τω* assimilatione *ἴττω* factum esse, mihi non probabile videtur, cum certe iam antequam Graeca lingua in dialectos discessit, *ἴστω* communis omnium Graecorum forma fuerit et apud ipsos Boeotos *ϝίστορες, κεκόμιστη*, aliaeque formae vulgo *στ* (ex *δτ* natum) praebeant.

Aliter autem *ἔττε* C. I. 1569[c] explicandum est, cum non ex *ἔστε* prodierit, sed ex *ἔντε;* nam *ἐς* (*εἰς*) praepositio Boeotis prorsus ignota fuit.

Neque vulgo hanc assimilationem (*στ* in *ττ*) factam esse, permulta exempla *στ* literarum docent.

---

[1]) Arist. Ach. 909 *μικκός* pro *μικρός* legitur (lat. macer); *Ἀθ*. IV, 291 recte *Σμίκρων* exstat.

Simillima res est in Strattidis voce ὀπιτθοτίλα pro ὀπισθοτίλα et in Hesychii glossa sine dubio Boeotica quamquam dialectus non nominatur: ἴτθαι i. e. εἶτθαι pro ἧσθαι. Nec minus huc pertinent Hesychiana ὑτθόν pro ὑσθόν = ὑστόν, et βυτθόν = βυσθόν = βυστόν (cf. G. Curtius, stud. IV, 202). Qua cum assimilatione conferre mihi liceat, quod Cretica dialectus στ nonnunquam in θθ mutavit: ἱθθᾶντι, συνεθθᾷ pro ἱστᾶντι, συνεστᾷ etc.

De assimilatione quae in ἐςς etc. invenitur, iam disserui.

§. 10. De vocalibus ac diphthongis.

Antiquam vocalem *a* in lingua Graeca saepissime ad *e* sive *o* debilitatam esse constat. Sed in his vocalis a mutationibus dialecti minime congruunt, sed alia aliam saepe viam ingressa est; saepe alios Graecos a mutavisse videmus, ubi alii genuinum sonum retinuerunt. Atque in universum quidem Dores et Boeoti primitivi soni tenaciores sunt quam ceteri. De Doribus plura disputare nunc supersedeo; Boeoti ubi ᾰ servaverint, quaerenti mihi primum veniunt in mentem voces α pro vulgaris linguae ε exhibentes: γα (ἰώγα Arist. Ach. 898). — κα (B. Monatsb. 1857, Ἀθ. III, 483, K. ann., cf. Arcad. καν, Dor. κα). — ἱαρός C. I. 1568, Ἀθ. III, 479, K. ann. 516, omniaque composita ac derivata: Ἱαροκλεῖος, Ἱαρώνυμος, Ἱαρίδαο, Ἱαρώνιος, Ἀρχίαρος, ἱαρειάδδω, ἱαράρχω. — ἅτερος Et. Gud. 256, 2, — Ἄρταμις C. I. 1595—1597, K. ann. 572, K. S. 61, — πέτταρες Ἀθ. III, 479 (ion. τέσσερες, dor. τέττορες, att. τέτταρες), deinde voces α pro ο exhibentes: ϝίκατι C. I. 1569 pro εἴκοσι, — διακάτιοι etc. C. I. 1569 III pro διακόσιοι, — Δαμαχαρίδαο pro Δαμοχ° lapicidae errori tribuendum est, cum iam eo tempore, quo Graeci et Itali discesserunt, substantiva II. decl. in ος exirent.

Sed inde quod saepe dialectus nostra pristinum α retinuit, semper eam antiquiores formas praebere ne colligas. Sunt enim haud pauca exempla, quae cum reliquae dialecti fere omnes α vocalem habeant, debilitatam vocalem ο praebent: Στροτίνω, στροτιώτης, Δινόστροτος, Νικόστροτος, Στρότων, Σωστρόπιος — Βρόχας K. ann. 586 pro Βράχας, Βρόχιλλα C. I. 1613, Ὀρνιῆος pro Ἀρνιῆος, πόρνοψ pro πάρνοψ.

Addendum est, Boeotos *Ἐρχομενός* et *Τρεφώνιος* pro vulg. *Ὀρχομενός* et *Τροφώνιος* dixisse.

In *Ἀμόντας* K. S. 57[d], *Σόμφορος* K. ann. 564 aliisque vocibus cum praepositione *συν* (lat. con-) compositis antiquius *ο* servatum est; vulgare *υ* (vel *ου*) ex *ο* ortum est.

Boeoti *ι* pro *ε* cum Doribus Ionibusque commune habent in *Εὐίστιος* pro *Εὐέστιος*. Eadem mutatio in Boeotorum *πρισγεῖες* (Dor. *πρέσγυς*), *θιπροπίοντος* K. ann. 572, *Τιλφῶσα* (cf. *Θέλπουσα*) conspicitur. Cuius rei causa in duabus sequentibus consonis quaerenda est.

Alia autem ratio vocalis *ε* ante sequentem vocalem in *ι* mutatae est. Nam huius mutationis etiam Lesbiis et nonnullis Doricis stirpibus non ignotae (Lesb. *χρύσιος, χάλκιος, δένδριον*, Locr. *Στασίας*, Phoc. *Μνασίας*, Lac. *σιός*, Cret. *θιός, τίριος*, Cypr. *θιόν, ἰόντα, ἴωσι* etc.) hanc causam fuisse existimo ut durarum vocalium concursum effugerent, omnibus fere Graecis odiosissimum et ab Atticis contractione plerumque vitatum. Omnia quae reperiuntur exempla afferre longum est; nonnulla memorasse sufficiat: *θιός, Τιμασίθιος, Θιόπομπος, Θιοπροπίων, Θίαρχος, χρίος, Κλίων, Νίων, Πουθίας, Ἀριστίας, Χαιρίας, Μνασίας, ϝίαρ, Κλισθένιος, ϝέτια, ϝάστιος, ἰών, ἁμίων, τιός, ἰών, ἰόντος, ἴει, ἀνέθιαν, χοραγίοντος, ποϊόμενος* (= *ποεόμενος*), *δοκίει, πολεμαρχιόντων, ἐπολέμιον* etc.

De *ε* servato confer quae p. 21 de etymologica scriptura dicam. —

Maxime vero dialectus Boeotica a ceteris eo differre videtur, quod temporum decursu paulatim in titulis pro vulgari *ῠ* scribitur *ου*,

pro *αι* (*ᾳ*) — *η*,	pro *η* — *ει*,
pro *οι* (*ῳ*) — *υ*,	pro *ει* — *ι*.

Ac prima quidem mutatio (*υ* in *ου*) sine dubio non sonorum, sed signorum est, non pronunciandi, sed scribendi. Nam Priscianus I, 35 recte iam intellexit, Boeotos literis illis *ου* non diphthongum, sed antiquum purumque sonum ŭ significasse, in omnibus quondam dialectis cum signo *υ* coniunctum paulatimque ab aliis alio tempore in recentioris literae *υ* sonum (ü) quasi fractum ut ita dicam. In hoc antiquiore sono servando Boeotica dialectus nescio an ita multum a ceteris recesserit; nam apud Lacones quidem eandem pronunciandi consuetudinem

usque ad recentiorem aetatem valuisse ex Hesychianis glossis multis apparet, quarum *ου* pro *υ* non recenti aetate irrepsit, sed veram pronunciationem ex antiquo tempore servatam prodit. Neque quidquam discriminis inter Laconicam et Boeoticam rationem interest, nisi quod Lacones ad sonum *u* significandum antiquam scripturam (*υ*) in inscriptionibus semper retinuerunt, Boeoti contra, cum Ionicas literas reciperent, i. e. circa ineunte quarto saeculo, scripturam mutarunt et ad ŭ significandum Ionum *ου* adoptarunt, id quod eo magis necessarium fuit, quia Ionum *υ* ad ipsorum sonum ü, i. e. vulgare *οι* exprimendum adhibebant.

Quae cum ita sint, mirum esse non potest, quod antiqua et etymologica ut ita dicam ipsorum Boeotorum scribendi ratio etiam post Ionicas literas receptas saepe in titulis reperitur.

Nonnulla exempla afferre mihi liceat: 1) ante a. 400. priscus sonus *u* simplici litera *υ* exprimitur: *Λυσανίαε* *Ἀϑ*. III, 168, *Κίτυλος*, *Δέρμυς* *Ἀϑ*. II, 405, *Εὐρύτιμος* K. S. 56ª, *Πυρο* K. S. 66ª, *Ἱπποκύδες* Herm. VIII, n. 18, *Διονύσοε* C. I. 1599, *Κύδιλλε* C. I. 1643 etc.

2) post a. 400. *ου* scribitur: *Πούρριχος*, *Ἀμουνίας*, *Μούκρινος*, *Πολούαρχος*, *Πολούρειτος*, *Εὐρούλοχος*, *Τρίπουλος*, *Εὔϑουμος*, *Λούκων*, *Κουδίας*, *Θράσουλλος*, *Πουϑάνγελος*, *Εὐτουχίνα*, *Κουδίππα*, *Λοῦσις*, *Μουρτώ*, *οὑιός*, *κάρουξ*, *ἀργουρίω*, *σούνδικος*, *σούγγραφος*, *τούχα*, *ἀσουλία*, *κουρωϑείει* etc.

Paulatim (non ante saec. III.) Boeoti hanc priscam pronunciationem ita mutare coeperunt, ut saepe sine ulla constantia *ιου* pro *υ* vel *ου* scriberent; iam Ahrensius Anglicam vocalis *u* pronunciationem et Zaconum *ψιούχα*, *νιοῦτα* etc. contulit: *Διωνιούσιος* K. ann. 564, 593 sq., K. S. 2, *Ἀϑ*. I, 490 sq., *Διωνιουσόδωρος*, *ϝαδιούλογος* *Ἀϑ*. I, 501, *Ἰϑιούλλεις* 492, *Διουσικλία* III, 164, *Διούσων* K. S. 15, *Ἀϑ*. I, 492, *Νιουμεινίω* 490, 493, *Νιουμφήα* III, 164, *Νιουμφόδωρος* I, 501, *Ὀλιουνπίων* K. ann. 631, *Ὀλιούμπιχος* *Ἀϑ*. I, 501, *Πιϑίουλος* 492, *Πολιουκλεῖς* 490, *Πολιουκλίδας* 491, *Πολιούκριτος* 494, *Πολιουκῶν* III, 164, *Πολιούξενος* I, 493, *Πολιούχαρις* 490, *τιούχα* 491, C. I. 1564, *Τιούχων* *Ἀϑ*. III, 476.

Reliquae autem mutationes (*αι* in *η*, *οι* in *υ*, *ει* in *ι*, *η* in *ει*) non scripturae tantum sunt, sed mutata pronunciatione exstiterunt. Antiquiore quidem tempore Boeotica dialectus a

vulgari Graecitate non diversa fuit, si quidem antiquissimae inscriptiones *αι*, *οι*, *ει*, *ε* (= *η*) proferentes a vulgari ratione non abhorrent. Sed iam ante a. 400. sonorum illorum pronunciatio ita mutata est, ut eorum loco saepe iam *αε*, *οε*, *ι*, *ει* scriberetur; Ionicae deinde literae receptae has sonorum mutationes apta simplicique scriptura reddendi facultatem dederunt.

Nec quisquam mirabitur, quod etiam post pronunciationem ita mutatam Boeoti nonnunquam antiquo more scribere pergebant. Saepissime enim in titulis eius aetatis, qua quin vocalium pronunciatio iam diu mutata fuerit nullo modo dubitari potest, vulgares vocales ac diphthongos scriptas invenimus, et tanta titulorum inconstantia est, ut in eodem saepe titulo eadem litera duplex munus sustineat (cf. C. I. 1574. in *Πολυκριτίω* *υ* pro *ου*, in *Ἀγρυκίχιος* contra pro *οι* est; similia in aliis titulis plura). Sed noli inde concludere, ipsam quoque linguam in populi ore eodem modo sine ulla lege ac regula fluctuasse; haec sibi semper constitit, et lapicidae in scribendo tantum fluctuabant, nunc pronunciationi mutatae scripturam quoque accommodantes, nunc, quamvis soni mutati essent, antiquam scripturam retinentes et etymologice ut ita dicam scribentes. Quae lapicidarum scribendi inconstantia eo minus nobis mira esse potest, quo proprius hac etymologica scriptura Boeotica dialectus, quamtumvis pronunciatio discreparet, ad vulgarem linguam Graecam accessit.

Sed nunc de ipsis mutationibus paulo accuratius disputare necesse erit. Ac primum de *αι* et *οι* dicam. Antiquiore tempore *αι* et *οι* veras diphthongos fuisse, luculente efficitur et crasi in *κἀριστοκράτει* pro *καὶ Ἀριστοκράτει*, et elisione *ι* vocalis in *ἀετός* pro *αἰετός*, *Πλαταεῖος* pro *Πλαταιεῖος*, *ποέω* et *ποείτας* pro *ποιέω* et *ποιείτας*[1]) (in hac voce *ι* semper eliditur); nam si *αι* = ä et *οι* = ö pronunciata essent, neque crasis illa neque elisio unquam fieri potuisset. Atque in dat. sg. I. et II. decl. *αι* et *οι* non pro *ᾳ* et *ῳ* fuisse, sed diphthongorum munus sustinuisse ob eam causam certum est, quia si iota mutum fuisset, transitus in *αε* (*η*) et *οε* (*υ*) intellegi non posset.

---

[1]) haec *ι* vocalis elisio minime Boeoticae dialecti propria, sed omnibus dialectis communis, in Attica praecipue lingua vetustiore pervulgata est.

— Exempla haec habeo: *Ἀθάναι* C. I. 1592, *Βακεύϝαι* 1639, *Χαιρρόνεα* 1679, *καὶ* K. S. 60[a], *Θεβαῖος* K. ann. 605. — *Κιτύλοι Ἀθ.* II, 405, *Χσένοισι* K. S. 60[a], *Φοισίας* K. S. 39[d], *Βοιδίον* Herm. VIII, n. 32, *Ὀνασίμοι* Herm. VIII, 27.

Sed paulatim cum hae diphthongi *μονοφθόγγως* pronunciari coeptae essent, pro *αι* ante Ionicas literas receptas *αε* scribebatur — (*Ἀεσχρόνδας Ἀέγιτ...* C. I. 1599, *Πλαύχαε* 1647, *Λυσανίαε*, *Ὀκίβαε*, *Ἀβαεόδορος Ἀθ.* III, 164, *ϝεργαένετος* IV, 213), — et pro *οι* — *οε* — (*Διονύσοε* C. I. 1599, *δάμοε*, *Χοε... Ἀθ.* III, 164, *Μοέριχος*, *Ἀριστόθοενος*, *Κοέρανος*, *Χοέριλος Ἀθ.* IV, 213), — deinde autem Ionicis literis receptis pro *αε* *η* et pro *οε* pronunciatione paulatim obscurata *υ*: *τῆ* (dat. sg.), *ἱππότη* (nom. pl.), *πολίτης* (dat. pl.), *ὀφείλετη*, *δέξασθη*, *δέδοχθη*, *κή*, *ἠ*, *Ἥσχυλος*, *Ἀθανῆος*, *θεράπηνα*, *Θειβῆος*, *ἥγυς*, *χῆρε* etc. — *τῦ* (dat. sg.), *τύ* (n. pl.), *τυΐ*, *τῦς* (dat. pl.), *αὐτῦς*, *ϝυκία*, *τὰ λυπά*, *Θύναρχος*, *Μυρίας*, *Εὔθυνος* etc. Plura huius scripturae exempla congerere — quamvis facillimum — supervacaneum est. — In una voce *Βοιωτός* mira constantia *οι* semper servatur.

Diphthongum *ει* vulgo a Boeotis in *ῑ* mutari grammatici praecipiunt. Sed in antiquissimis titulis diphthongus *ει* nondum mutata est (cf. *Προκλεῖ* K. S. 66[e], *Πειθόνδας* 53, *Θιογένειος*, *Ἀριστοκράτει* Herm. VIII) eamque diphthongum vetustiore aetate re vera *διφθόγγως* sonuisse, *ι* vocalis elisio in vocibus *Χαιρρόνεα* C. I. 1679, *Πασίκλεα* K. S. 66[d], *Ἀρίστεα* K. ann. 593 demonstrat. Iam quinto saeculo hoc genuinum *ει* in *ι* mutatum est; nam in titulis ante Ionicas literas receptas exaratis iam formae *Εὐτέλια*, *Ηιαρίδαο*, *Ἀριστογιτόνιος*, *Ἀμινοκλέες*, *Εὐκλίδας* inveniuntur. Inde ab hoc tempore semper fere *ι* pro *ει* in inscriptionibus legitur: *καλῖ*, *ἄρχι*, *ἀσφάλια*, *ἱράνα*, *ἀτέλια*, *ϝελάτια*, *Ἀργῖος*, *Ἀντικράτιος*, *Πολιουχάριος*, *Καλλικλίδας*, *Ἀριστογίτων*, *Διοπίθεις*, *Φίδων*, *Ἀμίνων*, *Ἐπαμινώνδας*, *Πιθόλαος*, *ἀΐδων*, *πλίονα*, *ἐπιδεί*, *κιμένας* etc.

Difficilius autem est de vocali *η* iudicatu. Grammaticis quidem testibus Boeoti, ubicunque Dorica dialectus *η* habet, *ει* dicebant. In inscriptionibus vetustioribus semper *E* scribitur (*Ἀμφάλκες*, *ἐδ᾽ Ἀθ.* II, 405, *Ἀντιφάνες* K. S. p. 176, *ἐμί* K. S. 66[e], *Ἀθ.* III, 168, *ἐπέθεκε* K. ann. 533, *ἀνέθεκε* C. I. 1592, Herm. VIII, n. 10, *Ηαγέσανδρος* C. I. 1637, *Δρομοκλῆς* Herm.

VIII, Ἀμινοκλέες, Φιλοχάρες Ἀθ. IV, 213), eaque litera sine dubio non ει, sed ē vocalem significat. Nam ipsius soni origo, eum nihil aliud esse comprobat, nisi genuinum verumque ē aut iam antiquissimo tempore ex ā profectum, aut Graeca aetate ex ε productione aut ex ε+ε contractione ortum. Quae vocalis ē apud Dores plerosque servata est, sed apud alios Dores, qui mitiore Dorismo usi esse dicuntur, Atticos, Boeotos quinto fere saeculo saepe in eum sonum transire coepit, qualem post Ionicas literas receptas ει scribebant: cf. Atticorum ἱππεῖς pro antiquiore forma ἱππῆς etc., Dor. εἶμεν pro ἦμεν, ἔσσειται pro ἔσσηται etc., atque etiam Lesbiaca forma ποείμενος semel invenitur; Boeoti denique paulatim eo progressi sunt, ut pro omni antiquiori η ει ponerent: Σωτέλεις, Τιμογένεις, Νιουμείνιος, Εὔμειλος, Αἴλειτος, Πολούρειτος, Θείραρχος, Εἱραίωνος, Εἱρότιμος, Εἱσιοδείων, εἱμιολίοι, Σωτείριχος, ϝαστυμείδων, ϝισοκλεῖς, μεῖνος, μειλίχιν, χρειμάτων, στατείρας, Ἀγείσιππος, Ἰσμεινίας, Ὀφέλειμος, Εὐμειρίδας, Χειρίας, Κτεισίας, Εὐκτείμων, πλεῖθος, χείλιοι, μειθενί, πατείρ, μεί, ἐπιδεί, εἴ, εἶμεν, ἴει, ἐπόεισε, παρδοθεῖσαν, τίθειτι, ἐφάπτειτη etc. Sed etiam tunc ει non diphthongum significabat, sed μονοφθόγγως semper medio quodam inter ē et ī sono pronunciatum est, id quod inde quoque elucet, quod η et ει nonnunquam a lapicidis confusa sunt: Ἀθανεῖος = Ἀθανῆος C. I. 1562, 1583, Θειβεῖος = Θειβῆος 1583 etc. Recte denique Brugmanus omnino Boeotorum dialectum studio teneri diphthongos in simplices vocales immutandi dixit (αι in η, οι in υ, ει in ῑ), itaque vix credi potest, eosdem Boeotos simplicem vocalem ē in diphthongum mutasse. Male igitur, cum hoc ει adulterinum non diphthongus sit, sed vocalis ē ad i inclinantis significatio, Westphalus hanc mutationem „Diphthongisirung" nominat.

Itaque grammaticorum praeceptum ita corrigendum est, ut Boeotos ē vocalem non minus quam Dores antiquiore tempore habuisse, subinde autem in ει adulterinum immutasse statuamus.

Neque id praetereundum est, in quibusdam vocibus Boeotorum ει non pro Dorico η esse videri, cum Dores nonnulli ᾱ in iis habeant (cf. Κτεισίας, Εὐκτείμων, πλεῖθος, Εὔμειλος, εἱμιολίοι, μεί, et Dor. κτᾶσις, πλᾶθος, μᾶλον, ἁμιόλιον, El. μά); sed mitior qui vocatur Dorismus in his quoque vocibus iam η profert.

Nonnullae deinde formae apud Boeotos *ει* habent, apud Dores *ε*: gen. sg. nominum in *ευς* apud Dores in *εος*, apud Boeotos in *ειος* = *ηος* = *εϝος*, nominum cum *κλέος* compositorum apud Dores in *-κλέος*, apud Boeotos in *κλεῖος* = *κλέεος* exit; plura de hac re vide infra p. 30, 31.

In voce *Θεισπιεῖος* K. ann. 570. 572, *Ἀθ.* I, 494 pro *Θεσπιεῖος* quaeritur, quomodo *ει* pro *ε* explicandum sit. Recte de hac re J. Schmidt statuisse videtur, hanc *ι* vocalem sequenti sibilanti deberi eodem modo quo in *ἐπεισκεύασε* C. I. 1460, *παρείσχηται* 2522[b], *εἴσχηκα* Berl. Monatsb. 1875, p. 554.

Denique memorandum est, Boeotos pristinam vocalem *ᾱ* ab Ionibus Atticisque plerumque in *η* mutatum, non minus quam Dores Aeolesque servasse: *δᾶμος*, *Σάμιχος*, *Ἁγείμων*, *Ἁγείσανδρος*, *Μνάσων*, *Δαλίων*, *Δαμάτριος*, *Ἁφηστίων*, *Δάμων*, *Ὀνάσιμος*, *Ἁγασίας*, *Κάφισος*, *Λάθων*, *Ματρόδωρος*, *Ἀθάνα*, *ἁλικία*, *ψάφισμα*, *μνᾶμα*, *στάλα*, *κᾶρουξ*, *γᾶ*, *ἱράνα*, *δαϑναφορίω*, *ἅ*, *τάν*, *τᾶδε*, *πᾷ*, *ἕστασε*, *τελευτάσει*, *ἐποησάταν* etc.

In *τᾶν*, *πρᾶτος*, *Πράτιχος*, *Θεᾶρίδας* *ᾱ* pro Atticorum *ω* contractione ab Attica diversa ortum est.

§. 11. **De productione suppletoria, contractione, crasi.**

Una pluribusve consonis elisis plerumque Graecam linguam consonarum detrimentum vocalium antecedentium productione compensare notissimum est. Nunc quidem meum est, quibus in rebus Boeotorum dialectus a vulgari ratione recedat, accuratius perquirere. Atque in universum haec lex praecipi potest, ubicunque Attici Ionesque in *ου* producunt, Boeoticam dialectum Doridis severioris more *ω*, ubi illi in *ει* aut *η*, Boeotos semper *ει* adulterinum (antiquioris *η* vocalem vicariam) proferre; in *α* vocalis productione cum omnibus Graecis (Lesbiis exceptis) prorsus consentiunt: *πᾶσα* ex *πανσα*, *πάντjα* Cor., *Πασικλεῖν* C. I. 1569, *Πασίτιμος* *Ἀθ.* I, 501, acc. pl. I. decl. terminatio *-ας*: *τὰς κιμένας* C. I. 1569, *τὰς αὐτάς τιμάς* etc. — Exempla quae Boeotos *ο* in *ω* producere ostendant, haec potissimum habeo: *ἰῶσα* ex *ἐονσα* (*ἐοντjα*) C. I. 1563, *θέλωσα* Cor. 10, *θανῶσαν* Herm. VIII, 24, *προυπάρχωσα* B., *μῶσα* ex *μόνσα* K. S. 23, accusativi pl. II. decl. terminatio *ως* ex *ονς*

nata (*ἐςγόνως* C. I. 1562, *τώς Ἀθ.* III, *σουγγράφως* C. I. 1569[a]), *βωλά Ἀθ.* IV, 292 (Lesb. *βόλλα*, vulgo ob scr. vrṇômi, ad *βολ-να* revocatur; sed rectius *βωλά* ad *βολ-ja* reduci et slav. volja et got. vilja demonstrat), *Εὔβωλος Ἀθ.* I, 501. IV, 292, *προβεβωλευμένον* B., *Ἀθ.* IV, 292; *Δωρίμαχος* Dech. 34 (cf. *δουρός* etc.), at Dech. 3 *Δορίλλεις;* — deinde *ε* vocalis in *ει* (*η*) productionis exempla: *παρδοθεῖσα* ex *-θένσα* (B.), *σταθεῖσα* C. I. 1569[c], *τεθείσας* 1569 III, *εἶμεν* ex *ἔσμεν*, Lesb. *ἔμμεν*, nom. sg. masc. et fem. stirpium in *ες* et *ερ* desinentium, *Τιμογένεις* pro *-γένες-ς* etc., *πατείρ* pro *πατερ-ς; μεινός* pro *μενσος*.

Iam si Lesbiorum *μέλλιχος, χέλλιοι, μάγερρος, χέρρες, κλεεννός, ὀφέλλω* consideramus, non minus productione suppletoria *ει* in *μειλίχιος* C. I. 1568, *χείλιοι* 1569 III, *μάγειρος* Dech. 7, *Χειρίας* K. ann. 553, *Κλεινίας* C. I. 1579, 1580 pro *Κλεεινίας*, *ὀφείλω* 1569 III natum esse videtur [1]).

Iam vero transeo ad constractionis usum. In universum id moneri potest, Boeotos non diligenter hiatum vocalium concursu nascentem fugisse itaque contractione minus saepe usos esse.

α+α in *ᾶ* contrahitur: *γᾶ, μνᾶ, πρᾶτος* (*πράϝατος*, cf. *μέσατος*). In nominibus propriis cum *λάα* compositis vulgo non contrahitur: *Ἀρχελάα, Κριτολάα, Ἀρκεσιλάα;*

α+ε; inscriptiones nulla exempla suppeditant; forma Aristophanea *φυσῆτε* quomodo explicanda sit, dubium est, cf. p. 37.

α+ο in gen. sg. masc. I. decl. non contrahitur, ne in iis quidem vocibus, quae ante terminationem *ας* vocalem habent: *Δαμοχαρίδαο, Πολιουκλίδαο, Λευκίναο, Καλλίαο, Πουθίαο, Ἀγασίαο* etc. etc ; paucissima quae contractionem ostendere videntur exempla (*Δαμέα* in corruptissimo titulo C. I. 1571, *Σωκλείδα Ἀθ.* I, 501 , *Τελεσαρχώνδα Ἀθ.* I) vix recte se habent; post *Τιμόλα* C. I. 1569[c] Boeckhius lacunam significat, post *Χαρειτίδα* C. I. 1578 aliisque locis in fine versuum *ο* certissime excidit. — Non magis contrahuntur *Ἀγλαοφαΐδαο* C. I. 1580, *Εὐρυφαόντιος* Herm. VIII, *Λάοτος Ἀθ.* III, *Εὔναος* IV, 213, nominaque omnia cum *-λαος* composita: *Κριτόλαος, Θρασούλαος* etc. — Sola quam reperimus vocalium *αο* con-

---

[1]) Minus recte Keilius ann. 521 *παραμ[ιναντεσι* supplevit; rectius legitur *παραμεινάντεσι*, cf. Dor. *ἄγγηλα*.

tractio in Pausaniae *Θεᾶρίδας* = *Θεαορίδας*, et in *Σωκράτεις*, *Σώμειλος*, *Σωσικλεῖς*, *Σώστροτος* similibusque cum *Σαο-* compositis fit. Nec vero formae *Σαυκράτεις* C. I. 1588, *Σαυγένες* *Ἀθ.* IV, 213, *Σαύμειλος* 1575 ex *Σαοκράτεις* etc. ortae sunt, sed verisimilius ex *Σαϝ-κράτεις*; *Σαϝ-* eodem modo pro *Σαϝο-* ad nominum compositionem adhibitum est, quo *Θε-* pro *Θεο-* in *Θέδωρος*, *Λα-* pro *Λαο-* in *Λαδάμας*, *Λακράτης*, *Λασθένης* aliisque [1]), in quibus cave contractionem statuas. — Formam *φυσᾶντες* Arist. Ach. 868 vulgo ex *φυσάοντες* contractam putatam alio modo rectius explicari, infra p. 37 videbimus; *σουλῶντες* Dech. 1 e vulgari more contractum est.

α+ω, nisi in articuli fem. gen. pl. *τᾶν* C. I. 1569, nunquam [2]) mutatur: *Ποτειδάων* K. S. 12, *Λυκάων* *Ἀθ.* II, 402, *Ἀγλάων* I, 492, *Καφισοφάων* IV, 213, *Εὐρυφάων* K. S. 3, *Σάωνος* K. ann. 553, *Σάωσις* 613, *δραχμάων* C. I. 1571, *πολιτάων* 1568, *κατοπτάων* 1569[a], *προστατάων* K. ann. 516, *Ἡγοσθενιτάων* B. Itaque Aristophaneum illud *κορᾶν* minime Boeoticum esse existimo. Una illa articuli *τᾶν* contractio ob hanc potissimum causam admissa esse videtur, quod infirmo articulo cum voce sequenti arctissime semper coniuncto forma quam simplicissima convenit.

De *ε* priore vocali. Cum vulgo *ε* ante vocalem in *ι* mutaretur, concursus vocalium durarum quarum prior *ε* esset, plerumque evitatus est: *ϝέτια*, *ϝίαρ*, *ἐπολέμιον*, *παριόντος*, *πολεμαρχιόντων*, *ποϊόμενος*, *ἀσεβίοντος*, *ϝάστιος*, *Σωκράτιος*, *Θιοφάνιος*, *ἀδελφιός* etc. De *ε* ante *ο* in *καλέονθι* servato et scriptura etymologica explicando iam egimus. — Difficile est de formis *Θευγνωτείδα* *Ἀθ.* III, 483, *Θεύδωρος* IV, 301, in quibus *εο* in *ευ* contractum esse videtur, certi quidquam affirmare; equidem eas non vere Boeoticas esse existimo, sed fortasse peregre ex alia dialecto invectas; in *νευμεινίη* *Ἀθ.* IV. nescio an *ευ* eodem modo ex *εϝ* explicari possit, quo *αυ* in *Σαυκράτεις*.

εε vulgo in *ει* (pro antiquiore *η*) contrahitur: *προστατεῖμεν*, *καρτερεῖμεν*, *δονεῖτη*, casus obliqui nominum cum *-κλεις*

---

[1]) cf. etiam Locr. *Ναϝπάκτιον*.

[2]) e titulo Thespiensi K. S. 33 nihil concludi potest: Keilii lectio *τ]ᾶ[ν μ[ω]σᾶ[ν τῶ]ν Εἰσ....* satis incerta est; in lapide hae literae esse dicuntur: . . *ΠΑ*

ΜΟΣΑ . ΝΕΙ.

compositorum: Διοκλεῖος e Διοκλέεος. At nominativus plur. adjectivorum in εις (ης) exeuntium solutam formam habuisse videtur: ϝικατιϝέτιες, sine dubio e reliquorum casuum analogia solutas formas praebentium.

ε, si cum ει adulterino concurrit, modo contrahitur, ut in Κλεινίας pro Κλεεινίας, Ἀριστοκλεῖς aliisque nominibus cum -κλεῖς pro -κλέεις compositis (sed quinto saeculo usus fluctuasse videtur; nam Ἀϑ. IV, 213 iterum forma soluta invenitur, Ἀμινοκλέες, ϝισοκλέες et eodem modo K. S. 53[b] Προκλέες, at Herm. VIII. et K. S. 60[g] Δρομοκλῆς legitur), modo in ι mutatur: δοκίει pro δοκέει (δοκέη), ἴει pro ἔει (ἔη).

ε+ει (= ε+ι) semper contrahitur, antiquiore tempore in ει (Προκλεῖ K. S. 66[e]) postea in ι: καλῖ B.

ο+α intactum servatur: δεδόανϑι, Ἀλκίνοα, nec minus

ο+ω in Εὐνόως K. ann. 521, σοωδίνας C. I. 1595; in Πολιουκῶν Ἀϑ. III, 171 οω in ω transiit.

οο semper in ω contrahitur in gen. sg. II. decl. terminatione: πολέμω, ἱαρῶ, συνεδρίω etc. Alia exempla vocalium οο concurrentium desiderantur; δαμιώοντες Dech. 1 vix recte se habere potest.

οε in ω contractum videmus in voce Τιλφῶσσα ex Τιλφόεσσα orta.

οει in ὀγδοείκοντα non mutatur.

Effeci igitur quod volui, minime Boeoticam dialectum vocales hiantes defugisse, sed tum praecipue contractione usam esse, cum duae eiusdem plane et quantitatis et qualitatis vocales concurrerent. Eandem ob causam etiam crasis exempla non ita multa reperiuntur: τἆλλα C. I. 1562, κἠ = κὴ ἠ = καὶ αἱ 1569 III, κἀριστοκράτει = καὶ Ἀριστοκράτει Herm. VIII, κἠπιχάριτται Arist. Ach. 884 pro κὴ ἐπιχάριτται, χειρωάδων pro κὴ sive καὶ εἰρωάδων Cor. I. — μέντἄν quod apud Aristophanem legitur, Boeoticae crasis exemplum ideo haberi non potest quia Boeoti pro ἄν particula κα utebantur.

Secunda pars.

De flexione nominum verborumque.

Primum mihi praemonendum esse videtur, dualem, quo Lesbii grammaticis testibus plane carebant, a Boeotis saepe servatum esse: *Θηβαίω ἐποησάταν* C. I. 25, *ἀνεθέταν* 1580, *δυοῖν* K. ann. 516, *νῶε* Cor. Sed ne Boeotos quidem dualem ubique cum possent posuisse, videas ex eodem titulo (1580), in quo *ἀνεθέταν* reperitur: *Ἀλεύας, Καφισόδωρος χοραγίοντες νικάσαντες ἀνεθέταν.*

§. 12. De declinatione nominum.

Primae declinationis voces omnes, cum Boeoti pro attico *η ᾱ* dixerint, fem. gen. in *α*, masc. in *ας* exeunt. De gen. sg. masculinorum nominum forma soluta in *αο* iam disputavimus. Dativus antiquis temporibus in *αι* [1]) formatur (*Ἀθάναι*), quae diphthongus postea in *αε* (*Πλαύχαε*) ac deinde in *η* mutatur: *Ἀρτάμιδι Εἰλιθίη* C. I. 1597 (sic enim Keilius ex Rossii apographo scripsit), *ἐν τῇ ὁδῦ* C. I. 1569c. — Eadem diphthongi *αι* mutatio in nom. et dat. pl. terminationibus cognoscitur: *ἱππότη, πολίτης* etc. — Genitivus pluralis in *άων* exit: *δραχμάων, πολιτάων;* de Aristophanis *κορᾶν* et de articuli forma *τᾶν* vide pg. 26.

Secundae declinationis genitivus sg. Dorico et Lesbiaco more in *ω* exit: *πολέμω, ἱαρῶ.* In Corinnae fragmentis unum exstat exemplum genitivi in *οιο* exeuntis, *Πινδαρίοιο*, quam formam pristinam omnibus quondam Graecis communem fuisse et a solis poetis diutius esse servatam iam satis constat. Aliter sane hac de re veteres grammatici iudicant, qui hanc genitivi formam modo Thessalicam, modo Boeoticam, modo Aeolicam vocant.

Dativus sg. antiquiore tempore eodem modo in *οι* terminatur, quo dativum sg. I. declinationis in *αι* exiisse iam dixi.

---

[1]) si *ι* vocalis iam oppressa fuisset, vix quisquam intelligeret, quomodo *ᾳ* postea in *αε*, dein in *η* mutari posset.

Confer dativos Arcad. *τοῖ χρόνοι αὐτοῖ ἔργοι ἡμίσσοι* et El. *αὐτοῖ*. Ceterum dativi sg., nom., dat. plur. formae a vulgaris linguae non differunt, nisi quod *οι* diphthongus antiquitus in iis exstans (*Κιτύλὀι*, *Ὀνασίμοι* etc.) iam ante a 400. in *οε* (*Διονύσοε, δάμοε*), postea in *υ* mutatus est: *τῦ, τύ, τῦς, αὐτῦς, προξένυς*. — Ubicunque dat. sg. in *ῳ* reperitur, nisi lapicidae error praesumendus est (*ωι* pro *οι*), semper vulgarem formam immixtam esse puto.

Longior dativi pl. terminatio nunquam legitur nisi ap. Arist. Ach. 913 *ὀρναπετίοισι* et in hexametro K. S. 60[a] *ξένοισι*; nam in quotidianae vitae usu et prima declinatio et secunda pleniorem terminationem non magis retinuit quam antiquum suffixum *φιν*. Quamquam in *πασσάλοφιν* et *Ἰδῆφιν* glossis Boeoticis ab Hesychio traditis hoc *φιν* conspicitur, nihil tamen inde concludas, cum has glossas e Corinnae scriptis desumtas esse verisimillimum sit; nam semper poetis formis vocibusque obsoletis uti licebat.

Jam ad tertiam declinationem transeo. Ac primum quidem apud Boeotos antiquam dativi plur. terminationem -(*ε*)*σσι*, Doribus quoque Lesbiisque propriam, servatam esse videmus: *βοὕεσσι* C. I. 1569 III, *ἄνδρεσσι* 1579 et 1580, *Χαρίτεσσι* 1593; *παραμ*[*ει*]*νάντεσι* quod K. ann. 521 legitur, nescio an emendandum sit; cf. etiam Corinnae *Ταναγρίδεσσι, πελέκεσσι*. Semel in titulo Boeckhiano 1569 III *ἤγυς* = *αἴγοις* pro *αἰξί* legitur. Sed constat hunc metaplasmum minime Boeoticae dialecti proprium esse, sed in multis multarum dialectorum titulis reperiri; cf. in Delphicis: *ἐτέοις, ἀγώνοις, Φωκέοις, ἱερέοις, ἄνδροις* etc., in Locr. *μειόνοις, Χαλειέοις*, in Messen. *εὐσεβέοις, ἐπικατασταθέντοις, ἐπιτελούντοις, πάντοις* etc., in Eleo tit. *ἀγώνοιρ*, in Arcad. *Φιαλέοις, πολέοις*, in Cret. *λιμένοις*, in Thurino *κατασταθέντοις*, in Tauromenitano *ἱερομναμόνοις, σιτοφυλάκοις*. denique confer Sapph. frgt. 28 *ὄσσοις*, in Aetolorum ad Milesios epistola (Eust. 279, 49) *γερόντοις*, in versu comici cuiusdam poetae (Mein. IV, 626) *παθημάτοις*, ap. Hes. Sc. 426 *ὄσσοισι*.

Iam satis ex his quae attuli exemplis intelligitur, hanc dat. pl. formam minime certae ulli dialecto, vel ut Ahrensius vult, septentrionali potissimum Graeciae propriam esse, sed locis quam maxime inter se distantibus recentiore praecipue

aetate in dialectis diversissimis neque ullo vinculo coniunctis usitatam. Quae cum ita sint, vix est credendum, hanc dativi plur. tertiae decl. formam ex una dialecto in reliquas translatam esse, sed id verisimillimum videtur, libere et per se dialectos temporum decursu, aliam alia maturius neque ulla alius dialecti autoritate ductam, ad illam linguae corruptionem pervenisse. Sed nunc quaeritur, quomodo formae illae ortae sint; nam Ahrensii sententia, e qua formae *γερόντοις* etc. contractione quadam ex antiquiore *γερόντεσσι* natae sint, certe non magis probanda est, quam Bergkii, *οις* in his formis ex *οφι*+*ς* natum esse. Rectius de hac re G. Curtius statuit, stud. III, 384. Antiquitus solae formae in *εσσι* natae erant, quae cum subinde nimis durae difficilesque viderentur, recentiore tempore facillimam frequentissimarum II. decl. vocum analogiam sequebantur.

In declinatione stirpium in *ες* (nom. *ης*, Boeot. *εις*, et *ος*) Boeoti contractione non utuntur, nisi in dat. sg., sed vulgo *ε* ante vocalem in *ι* mutant: *Ἀριστοκράτεις*, gen. *Ἀριστοκράτιος*, nom. pl. *ϝικατιϝέτιες*, gen. pl. *ἀτελίων*. — *ϝέτος* (gen. *ϝέτιος* casu non exstat), nom. pl. *ϝέτια*. — Nomina cum *κλέης*, *κλῆς*, *κλεῖς* composita vulgo in casibus obliquis *εε* in *ει* adulterinum contrahere iam memoravi: *Ἀντικλεῖος* pro *Ἀντικλέεος* etc.[1]).

In dativo sg. vocum et in *ης* et in *ος* *ε*+*ι* in *ει* contrahitur: *Ἀριστοκράτει* Herm. VIII., *Προκλεῖ* K. S. 67[e], quae diphthongus *ει* postea certe in *ῑ* mutabatur, quamquam *Ἀριστοκράτι* vel eiusmodi exemplum non exstat.

Accusativus sg. nominum in *ης* (*εις*) vulgo in inscriptionibus in *ειν*, *ην* desinit: *Διογένην* C. I. 1563, *Διογένειν* K. ann. 537, *Καλλικράτην* 521, *Κλεοφάνειν* 537, *Δαμοτέλειν* C. I. 1569[a], *Πασικλεῖν* 1569[a], *Θιοκλῆν* *Ἀθ*. IV, 292 etc. Quaeritur, utrum hoc accusativi *ν* ex antiqua memoria acceptum eodem modo, quo in Lesbiaca dialecto verisimile est, constanter retentum, an sicut in Atticis recentioris aetatis accusativis *Σωκράτην* etc. explicandum sit, ut posteriore demum aetate ex analogia primae et secundae declinationis *ν* irrepsisse statuamus. Quam quaestionem, cum vetustiores tituli nulla iam accusativi exempla exhibeant, nondum solvere possum.

---

1) in *Ἡρακλείως* quod ann. 516 legitur, recte iam Keilius *ω* in *ο* mutavit.

Accedo ad voces in *ις* desinentes, quarum *ι* in casibus obliquis communi Dorum, Ionum, Lesbiorum more semper servatur: *πόλις*, *πόλιος*, *πόλῑ* (*ῑ* vocali ex *ι+ι* orta), *πόλιν*; pluralis exempla praeter accusativum *ἐμβάσιας* K. ann. 516 forte non exstant, sed dubium esse non potest quin schema sic statuendum sit: *πόλιες*, *πολίων*, *πολίεσσι*, *πόλιας*.

Stirpum in *υ*, quae in casibus obliquis *υ* retinent, dativum sg. contrahi elucet e *Δέρμυι* in fine hexametri *Ἀθ*. II, 405. Ceterum has voces formas solutas habere, etsi exemplis probari non potest, verisillimum est; nam eae quoque, quarum *υ* in *ε* transit, contractione non utuntur, sed vulgo *ε* in *ι* mutant: *ϝάστιος* C. I. 1569; utrum *πρίσγεες* *Ἀθ*. III, 479 etymologice pro *πρίσγιες* (*πρίσγυς*) recte legatur, an pro *πρισγεῖες* (*πρισγεύς*) errore lapicidae scriptum sit, sicut in eodem titulo *Ἀνακτοριέες* pro *Ἀνακτοριεῖες*, dubitare licet. —

Stirpes in *ευ* = *εϝ* desinentes titulis testibus semper *ε* vocalem, *υ* vel potius digammate eliso, in *η* (postea per *ει* literas scriptum) producunt: gen. *Κορωνεῖος*, *Θεσπιεῖος* C. I. 1593, dat. *Φωκεῖϊ* 1569a (itaque etiam K. S. p. 72 e *βασιλε*>< potius *βασιλεῖι* quam Keilii *βασιλεῖ* restituendum est), accus. *Ἡλεῖα* 1564, *Χηρωνεῖα* 1569, *Ἀλεξανδρεῖα* K. S. 1, *Δαματριεῖα* *Ἀθ*. IV, 210; pl. nom. *Σιφεῖες* B., *πρισγεῖες* *Ἀθ*. III, 479, gen. *Θεσπιείων* K. ann. 539, *Χορσιείων* *Ἀθ*. IV, 215, acc. *Φωκεῖας* 1569, *Ἀντιοχεῖας* etc. In tanta titulorum constantia vix dubium esse potest, quin etiam *Ἀθ*. III, 479 *Ἀνακτοριεῖες* pro *Ἀνακτοριέες* et *Ἀθ*. IV, 292 *Ἐλατεῖα* pro *Ἐλατέα* emendandum sit [1]). — Certa haec et inter se congrua titulorum testimonia spectanti mihi admodum mirum videtur, quod grammatici nonnulli (Choerob. Bekk. 1194, Ann. Ox. III, 238 etc.) voces in *ευς* Boeotice in genitivo aut *ειος* aut *ιος* habere testantur et exempla afferunt *Ἀχιλλίος*, *βασιλίος*. Sed cum nusquam nunc eius formae in *ιος* exempla reperiantur, non possumus dicere, unde haec grammaticorum doctrina manaverit, quidque veri contineat.

Denique memorandum est, Boeotos e grammaticorum qui-

---

[1]) in tit. 1588 Pocockii *Λεβαδειήων* i. e. *Λεβαδειαίων*, quod iam Ahrensius Boeckhii scripturae *Λεβαδειέων* praetulerat, novis postea apographis firmatum est; cf. K. S. p. 63.

dem testimonio Ἄρευς, gen. Ἄριος pro vulgari Ἄρης dixisse. At in Corinnae fragmentis acc. Ἄρευα exstat, qui fortasse pro Ἀρεῖα (cf. Ἡολεῖα etc.) errore librariorum vel grammaticorum Lesbiaco more ductorum irrepsit. E nomine Ἀρήϊχος (C. I. 1575) nihil licet concludere.

Metaplasmi exemplum in Hesychiano ἄας· εἰς αὔριον· Βοιωτοί reperias; iam Ahrensius Lesbiacam formam αὔα pro αὔως comparavit.

§. 13. De pronominibus.

Valde dolendum est, quod ad pronomina cognoscenda inscriptionum testimonia prorsus fere deficiunt, et pauca quae scire possumus, e libris hauriuntur (Eubul. frgt., Arist. Ach., Apoll. Dysc. περὶ ἀντων.).

I) pronomina personalia I. pers.: ἰώ Arist., Hes., ἱών Apoll., ἐμοῦς, ἐμύ Apoll. — ἁμές Eub., ἁμίων Apoll., ἁμῖν Arist.

II. pers.: τύ Arist., τούν, τού Apoll., τεοῦς, τιοῦς, τεῦς Apoll., τίν Apoll. — οὑμές Apoll , ὑμές Arist., οὑμίων Apoll., οὑμῖν Ann. Ox.

III. pers.: ἑοῦς Apoll., ϝίο Hes., ϝοῖ C. I. 1565, ϝῦ Apoll., ἑίν Apoll. — pluralis exempla desunt.

Plerasque formas Apollonius locis e Corinnae poematis allatis probat, itaque verisimile sit, nonnullas ab eo allatas non tam vulgares esse quam poeticas et in quotidianae vitae usu iam dudum obsoletas.

In Apollonii ἱών num spiritus asper recte se habeat, valde dubium videtur. Nam in vocis origine certe nulla eius causa conspicitur, neque aliam ob causam Apollonius asperum posuisse videtur, quam quod e tertiae personae spiritu falsam regulam deduxit eamque ad primam personam transtulit: talia enim sunt verba eius: (ἱών) ἐδασύνθη, ἐπεὶ δασύνεται τὰ φωνήεντα ἐν ταῖς ἀντωνυμίαις ὅτε πρὸ φωνηέντων τίθεται, ἑός, ἑοῦ etc.

Genitivi formae ἐμοῦς, τεοῦς, τιοῦς, τεῦς, ἑοῦς nullo modo recte se habere possunt, cum diphthongi ου (i. e. apud Boeotos semper aut ο+υ, sicut in βοῦς, aut υ;, origo vix intellegatur. Simillimae formae Doricae ἐμίως, τίως vulgo ita explicantur, ut ex (ἐμέως = ἐμῆος =) ἐμέjος et τϝέjος prodierint.

ἁμές et ὑμές, eaedem ac Doricae dialecti formae, ex ἀH-

μέ-ες et ϳυΗμέες correptae esse vulgo dicuntur; sed rectius mihi videtur quod Fickius docet: ipsi stirpi ἀΗμε pluralis significationem ς suffixam esse; cf. lit. mes.

Accusativi sg. II. personae formam τίν Ahrensius e Dorico τεὶ diphthongo Boeotice mutata et ν ut in τούν addito natam esse existimat; sed rectius scr. tvâm, osk. siom, umbr. tiom collatis ν antiquam accusativi terminationem habemus.

Ad dativi formam ἑΐν conferas Doricas formas ἐμίν, τίν, ἵν et Homericum τεΐν, nec dubium est, has omnes eodem suffixo quo ἁμῖν et οὑμῖν formatas esse.

Reliquae pronominum personalium formae nihil notatu digni praebent, quippe quae cum Doricis formis (exceptis vocalium mutationibus Boeoticis) conveniant. —

Possessivorum pronominum formae ab Apollonio hae memorantur: τιός pro σός, ϝός pro ὅς, ἁμός pro ἡμέτερος; in Corinnae fragmento 11. ἐμός reperitur; Hesychii οὑμαί et Boeoticum et Laconicum esse potest. —

Articulus in nominativo plur. τ, ab aliis Graecis paulatim omissum, semper retinet: τοι, τυ, ται, τη, et vulgo ι demonstrativo addito demonstrativi pronominis ὅδε munere fungitur: τοΐ, τυΐ pro οἵδε etc. Solius articuli pro ὅδε exstantis exemplum vix usquam reperitur, cum C. I. 1574, K. S. 4, 14 etc., meliores apographi semper τοΐ vel τυΐ praebeant. — Sed etiam ὅδε a Boeotica dialecto non prorsus alienum esse satis e C. I. 1583 τύδε ἐνίκωσαν elucet.

Maxime memorabiles formae οὗτον Ἀθ. II, 402 et οὗτα K. ann. 521 sunt, quippe quae e nominativorum sg. et plur. masc. et fem. generis analogia priscum τ abjecerint.

Ex Aristophanis τῶν pro ὧν fortasse concludi potest, quinti saeculi Boeotos articulo pro relativo usos esse; in posterioris aetatis inscriptionibus semper vulgares formae exstant: ἅς B., καθ᾿ ἅ K. ann. 522, 538, καθ᾿ ἅπερ 1563, ὅστις K. S. 37, ὥςτινας K. ann. 516.

§. 14. **De numeralibus.**

Haec in titulis numeralia reperiuntur: 1) cardinalia: δύο Ἀθ. III, 483, gen. δυοῖν K. ann. 516, τρῖς, τρία C. I. 1571

(cf. K. S. p. 37), *πέτταρες* *᾿Αϑ.* III, 479, *πέτταρα* C. I. 1569 III, *πέντε, δεκαπέντε* K. S. 41, *δεκαέξ* *᾿Αϑ.* III, 479, *ϝίκατι* C. I. 1569, *τριάκοντα* *᾿Αϑ.* III, 479, *πετταράκοντα* C. I. 1569 (*πεντείκοντα* Cor. frgt. 7), *ἑβδομείκοντα* C. I. 1571, *ὀγδοέκοντα* *᾿Αϑ.* III, 480 pro *ὀγδοείκοντα, διακάτιοι* C. I. 1569 III, *πεντακάτιοι* *᾿Αϑ.* III, *χείλιοι* C. I. 1569.

2) ordinalia: *πρᾶτος* C. I. 1569[c], *ἕκτος* *᾿Αϑ.* IV, 210, *τριςκηδέκατος, πεντεκηδέκατος* C. I. 1563, *ἑςκηδέκατος* *᾿Αϑ.* IV, 210, *ὀκτωκηδέκατος* *᾿Αϑ.* IV, 293.

§. 15. **De conjugatione.**

Primae personae plur. ind. act. terminatio, cum inscriptionum testimonia non exstent nec Corinnae *ἐπράϑομεν* ullam vim habeat, et Dorico more *μες* et vulgari *μεν* fuisse potest.

Tertia persona sg. praesentis act. verborum qui dicuntur in *μι*, antiquam terminationem *τι* retinuit: *τίϑητι* Pr. 200, *ἵειτι* K. ann. 521.

Etiam in tertia pers. plur. act. Boeoti terminationem *ντι* ita retinuerunt, ut nisi *τ* aspiratione iam memorata in *ϑ* nihil mutaretur: *καλέονϑι, εὑρίσκονϑι, τεϑήκανϑι, ἔχωνϑι, ἴωνϑι.* Sed verisimillimum esse videtur, hanc aspirationem posterioris demum aetatis esse, et antiquiore tempore Boeotos non minus quam Dores *ντι* dixisse; conferas *ἔντι* Arist. Ach. 902 et Boeotica illa *οἴκεντι, φίλεντι* (ab Heraclide Aeolica vocata).

Eadem aspiratione affectae sunt terminationes *ονϑη, ωνϑη* (*παργινύωνϑη* B.), *ονϑο* (*συνεβάλονϑο* K. ann. 578), *ανϑο* (*ἀπεγράψανϑο*), denique *νϑω* (*ἀνγραψάνϑω*). Haec III. pers. plur. imperativi forma in *νϑω* prorsus Doricae in *ντω* respondet, cum dialecti Lesbiaca et Attica recentiore forma nasali aucta utantur (Lesb. *φέροντον*, Att. *φερόντων*).

III. pers. sg. perf. pass. vulgo a communi Graecorum ratione non differt: *κεκόμιστη* C. I. 1569 III, *γέγραπτη* K. S. 1; sed in una forma *δέδοχϑη* pro *δέδοκται* aspirationem non vulgarem videmus. III. pers. plur. perf. pass. in *αϑη* pro *αται* formata est: *ἐστροτεύαϑη*; cf. Att. *γεγράφαται*; pluribus de terminatione *αται* pro *νται* G. Curtius disputavit, Verbum p. 96.

III. pers. plur. praeteritorum longiorem terminationem *σαν* assumpsisse dicitur, *ἐμάϑοσαν* etc. At primum *ἐπολέμιον* *᾿Αϑ.*

III, 479, grammaticorum doctrinam minime confirmat, et deinde ipsi grammatici vehementer inter se dissentiunt. Nam eandem formationem Aristophanes Chalcidensibus, Choeroboscus Calcedoniis, Phavorinus Doribus, Heraclides Asiaticae et Hellenisticae linguae, alii aliis tribuunt. In tanta sententiarum discrepantia recte viri docti non Boeoticae vel alii cuiquam dialecto „hoc vitium sermonis“ proprium esse, sed omnibus fere Graeciae partibus recentiore aetate patuisse intellexerunt (cf. Mommsen, Eph. epigr. I, 283 not.). Itaque in Boeoticis quoque titulis, qui *κοινήν* quae vocatur dialectum exhibent, tales formae reperiuntur: *διελάβοσαν* Herm. VIII, 433. — Contra eae quoque formae, quae vulgo terminationem *σαν* habent, ut III. pers. plur. aor. pass., in Boeotica dialecto breviorem eamque antiquiorem *ν* adsumunt: *ἐσσέγραφεν* iterum *Ἀϑ.* IV, 215 pro *ἐξεγράφησαν* legitur.

III. pers. sg. conj. praes. et aor. act. in *ει* formatur, quod *ει* vulgari mutatione ex *η* natum est: *δοκίει* C. I. 1568, *δοκιμάδδει*, *βάλλει* K. ann. 516, *πάϑει*, *τελευτάσει* 521 sq., *διαγράψει* K. S. 3, *ἴει* B. (pro *ἔη*); iota subscriptum, quod in Atticis formis epenthesi natum est (*βάλλῃ* ex *βάλλητι*), Boeoti aeque ac Doriensium plerique ac Lesbii antiquitus omisisse videntur; cf. etiam coniunctivum *ἱστᾶ*, K. ann. 516, ubi Keilius minus recte iota supplevit.

Infinitivus vulgo suffixo *μεν* formatur: *ὑπάρχεμεν*, *φέρεμεν*, *κρίδδεμεν*, *προστατεῖμεν*, *καρτερεῖμεν*, *φάγεμεν*; *εἶμεν* (ex etymologica scriptura *ἦμεν*), *ἀποδόμεν* [1]). Neque ulla in titulis Boeotice scriptis formarum in *ειν*, *ην*, *εν* vestigia reperiuntur, et quod Arist. Ach. 981 legitur, *ϑερίδδειν*, sine dubio ex Attico more formatum est. — Etiam Homerus et hac terminatione *μεν* et pleniore eaque antiquiore *μεναι* utitur, neque in aliis dialectis haec terminatio inusitata est.

De aoristi I. activi *ττ* (*κομιττάμενοι*) pro aliarum dialectorum *σσ* iam disputavi. —

C. I. 1588 Boeckhius plurimorum apographorum lectionem *νικάξαντες* minus veram iudicans in *νικάσαντες* mutavit; dubito,

---

[1]) K. ann. 522 in lapide est *ϑενα* quod Keilius in *ϑεῖναι* supplevit; rectius *ϑέμεν* legitur, eaque forma K. S. 4b v. 32 *ἀναϑέμεν* in titulo vulgarem quidem dialectum prae se ferente, retentis tamen formis quibusdam Boeoticis admixtisque Doricis Boeotica fortasse habenda est.

num iure hoc fecerit, quia etiam K. ann. 583 *ἰαρειάξασα* et Dech. 7 *ἐθοίν(η)ξαν* simili ratione formata leguntur, et *Ἀθ.* III, 480 pro *εἰνιξαν* fortasse *ἤνιξαν* = *αἴνιξαν* (*αἰνίδδω, αἰνίζω*) scribendum est; itaque K. S. 4ᵇ v. 10 *διεδίκαξαν* eodem iure a Boeotismo profectum esse potest quam a Dorismo (cf. K. S. p. 24).

Pluribus mihi agendum est de contractorum quae vocantur verborum flexione. Quae cum grammatici more Lesbiacae dialecti verborum in *μι* rationem sequi confirment, in inscriptionibus ubique a vulgari flexione non abhorrent, nisi quod suis contractionis legibus utuntur: *καλῖ* = *καλεῖ*, *δοκίει* = *δοκέῃ*, *καλέονθι, ἐπολέμιον, προστατεῖμεν* etc. Exemplis grammatici hisce utuntur: *φίλειμι, τάρβειμι, νόειμι, ποίειμι*, et suo iure Ahrensius etiam *φίλεντι, οἴκεντι* ab Heraclide Aeolica vocata Boeoticae dialecto vindicavit; nec dubium est, quin etiam *ὀχήμενος* Cor. Schn. p. 436, *ἀδικείμενος* Arist. Ach. 914 huc pertineant. Accuratius de his formis G. Curtius aliique scripserunt, et hanc grammaticorum doctrinam antiquiorem flectendi modum neque in ulla dialecto inusitatum respicere probarunt; nam vix dubium esse potest, quin eodem ac Boeotica illa modo Homerica *συλήτην, ἀπειλήτην, ἀρήμεναι, ἀλιτήμενος, καλήμεναι*, Lesbiaca *ἀδικήμενος, καλήμενος, ἐπαίνην, στεφάνων* etc., Arcad. *ζαμιώσθω, καταφρονῆναι, ἀδικήμενος*, El. *καδαλήμενος*, Delphica *ποιείμενος, ἀφαιρείμενος, καλείμενος*, Locr. *καλείμενος* aliaque formata sint. Quaeritur nunc quomodo huiusmodi formae explicandae sint. Ac primum quidem Curtius recte intellexit, *ει* sonum in formis Delphicis, Locricis, Boeoticis (*ἀδικείμενος*) nihil aliud esse nisi antiquioris *η* vicarium in mitioris Doridis dialectis saepissime, in Boeotica dialecto a quarti saeculi initio constanter apparentem. Sed deinde Curtius quum verba illa cum radice ja, in modum verbi *τίθημι* flexa (*jημι* etc.), composita esse existimet, formas, de quibus agitur, contractione natas esse explicat ita ut ex *γελα-jημι, φιλε-jημι, δουλο-jημι* primum *γελᾱ-ημι, φιλη-ημι, δουλω-ημι*, deinde *γέλαμι, φίλημι, δούλωμι*, et ex *γελα-jεμενος, φιλε-jεμενος, δουλο-jεμενος* eodem modo *γελάμενος, φιλήμενος, δουλώμενος* etc. facta sint. Quae sententia ideo potissimum minus mihi probatur, quod ipsius compositionis et contractionis nulla vestigia exstant et producta vocalis multo facilius explicari potest. Nam ut in *τίθη-μι* ipsi

stirpi *τιθη*, ex *τιθε* vocalis *ε* productione natae terminatio *μι* suffixa est, sic et *φίλημι* etc. explicandum est: ipsi stirpi nullo suffixo vel derivationis elemento interiecto terminationes suffixae sunt. Nec mirum id esse potest, cum etiam in *φιλή-σω* eadem formationis ratio conspiciatur; nam si *φιλήσω* e *φιλεέσω* ortum esset, certe sicut pro *φιλῶ* nonnunquam *φιλέω*, ita pro *φιλήσω* nonnunquam *φιλεέσω* reperiretur. Itaque hac una re verba *φίλημι* etc. a verbis *τίθημι* etc. differunt, quod cum in ipsorum flexione semper fere vocalis ante terminationes producatur, in horum flexione nunc *τιθη* etc. vocali producta (*τίθη-μι*), nunc *τιθε* etc. vocali non producta (*τίθε-τον*) usurpatur. Causam vero huius vocalis varietatis eruere non minus difficile est — nulla prorsus e mea quidem sententia causa subest — quam explicare cur in *φιλή-σω* etc. longa vocalis, brevis in *ἀρό-σω*, longa in *δω-τήρ*, in *δο-τήρ* brevis appareat etc. In quibusdam tamen formis etiam verba, de quibus nunc agimus, vocalem corripiunt: Boeot. *οἴκεντι*, *φίλεντι*, Arcad. *ἀδικέντα*, *ζαμιόντες*, Thess. *στροταγέντος*, Lesb. *φίλεντος*, *κατάγρεντον* (imper.) etc.; ac recte hoc propter duas sequentes consonas factum esse iam diu intelligitur. — Minime igitur verba quae vulgo contracta vocantur, in formis illis Boeoticis, Delphicis, Lesbiacis etc. analogiam paucorum verborum antiquorum *ἵστημι*, *δίδωμι*, *τίθημι* secuta esse existimo, sed eodem antiquo modo praesens formasse, quem et in his verbis *τίθημι* etc. et in temporum verborum contractorum formatione (*φιλή-σω*, *ἐ-φίλη-σα*, *πεφίλη-κα*) semper retentum videmus.

Memorabiles denique formae, sed difficiles explicatu sunt Aristophaneae *φυσᾶντες* et *φυσῆτε*. Quominus formam *φυσᾶντες*, vulgo ex *φυσάοντες* contractam putatam, ex antiquiore ratione explicemus, itaque rectius *φυσάντες* scribamus, nil certe nos impedit. Sed *φυσῆτε* quomodo factum esse existimem, valde nunc haereo; qua in forma utrum iam recentior ratio irrepserit, itaque vocalium *αε* in *η* contractio non ita usitata statuenda sit, an utraque forma fortasse exstiterit et *φύσαμι* et *φύσημι* ita ut *φυσάντες* ad *φύσαμι* et *φύσητε* ad *φύσημι* reducenda sit, an pro *φυσῆτε* *φύσᾱτε* corrigere rectius sit, nescio.

Sed iam satis de hac ratione dixi, quem Boeoti aliique antiquo tempore secuti postea plane omiserunt.

Verba liquida in titulis forte non exstant, nisi *παραμ-ναντεσι*, quam formam Keilium *παραμινάντεσι* legere iam dixi; rectius *παραμεινάντεσσι* scribitur; cf. Doricum *ἄγγηλα*.

Verborum quae dicuntur in *μι*, hae formae in titulis reperiuntur:

1) *τίθητι* Pr. 200, *τίθειτι* Dech. 1, 3, *τίθεται* K. ann. 521, (*δι*)*έθει* ib., *ἔθεταν* C. I. 1580, *θέμεν* K. ann. 521; — *ἔθηκε* Herm. VIII, n. 10, *ἔθεικε* K. S. 11, *ἔθεικαν* C. I. 1579, *ἔθιαν* K. S. 10, cf. p. 12, *τεθήκανθι* B., *τεθείσας* C. I. 1569 III.

2) *ἔδωκα* C. I. 1569, *δόμεν* Ἀθ. III, 479, *δεδόανθι* C. I. 1569 III, cf. p. 16, *δεδομένον* 1569 III, *δοθεῖσα* B.

3) *ἵειτι* K. ann. 521, *ἱέντα* ib.

4) *ἱστᾶ* coniunct., K. ann. 516, *ἔστασε* Ἀθ. II, 405.

5) *ἐστί* B. [*ἐντι* Arist. Ach. 902], *ἴει* B., *ἴωνθι* C. I. 1569, B., *ἰόντος* Pr. 200, *ἰώσας* C. I. 1563, 1564 etc., *ἦμεν* K. S. 1, 1563[c], *εἶμεν* 1562 etc., *ἔστω* Dech. 1 [*ἦσθα* Cor. 14], *εἶαν* K. S. 3 = *ἦσαν*, cf. p. 12.

Denique e formis *γινύωνθη* et *γινυμένως* B. elucet, Boeotos pro *γίνομαι* vel *γίγνομαι* falsam verborum syllaba *νυ* formatorum (*δείκνυμι* etc.) analogiam secutos *γίνυμη* dixisse; ceterum K. ann. 521 vulgaris forma *γινομένοις* legitur; forma *γίγνομαι* autem nusquam exstat.

§. 16. **De praepositionibus.**

Pro praepositione *εἰς*, *ἐς*, formis apud Atticos, Iones, Lesbios, Dores plerosque vulgatis, Boeotos *ἐν* dixisse multa titulorum testimonia docent: *ἐν τὸν πόλεμον* Ἀθ. III, 480, *ἐν τὸν ἄετον*, *ἐν τὸ μέσον*, *ἐν τὰν προβασίαν*, *ἐν τὸν ὅρον*, *ἔττε* (i. e. *ἐντε*) *τὸν ὅρον* C. I. 1569[c], *ἐμ πελτοφόρας* Ἀθ. I, 490 sqq., *ἔμβασις* K. ann. 514, *ἔμπρακτος* C. I. 1569[a] etc. Idem usus non modo apud septentrionalis Graeciae Dores ita viguit, ut nunquam forma *εἰς* nisi in duobus titulis (Wescher et Foucart 451, Rang. 692) reperiatur (cf. Delph. *ἐν δύνασιν* C. I. 1688, *ἔντε* ib., *ἐν τὸ πρυτανεῖον* Ulrichs p. 67, *ἐν ἡλικίαν* W. F. 43, 306, *ἐν τὰς φυλάς* 66 etc. Phoc. *ἐν αὐτούς* Ross. 85, Locr. *ἔντε κα ἀποτείσῃ* hyp. 15, *ἐν Ναύπακτον* hyp. 1. 11. 32. 37, *ἐν Λοκρούς* 20, *ἐν ὑδρίαν* 46, Aetol. *ἐν Αἰτωλίαν*, *ἐν Κέῳ* C.

I. 2350, ἐν τοὺς νόμους 3046, ἐν τὸν Εὔρωπον, ἐν τὰν παγάν etc. Rang. 692, ἐν τὰν στάλαν 947), sed etiam apud Thessalos (ἐν τὸν ἅπαντα χρόνον Ἀϑ. II, 317, ἐν κίονα, ἐν τὸ Ἀσκλαπιεῖον, ἐν ταῦτα Ahr. II, 529), et Eleos (ἐν τὰν ἰδίαν, ἐν τὸ ἱαρόν, ἐμ Μίλητον in titulo nuper reperto), et ε vocali in ι debilitata (ἰν) apud Arcades Cypriosque (cf. Arc. ἰναγόντω ἰν δικαστήριον I. Tegeat. 20, ἰν ἔςτεισιν (i. e. ἔκτισιν) 39, ἰν ἐπίκρισιν 52, Ἴμπεδις in tit. Tegeat. (Bulletin de l'école d'Athènes), Cypr. ἰ(ν) τὰ(ν) ϑιόν in tit. Idalio, ἰν ἀκριΐαν, ἰν φάος, ἰν ἄμμανϊν etc. ap. Hesych. De origine huius usus multi ita statuerunt utramque formam, et ἐν et ἐς, εἰς ad unam prisςamque ἐνς revocandam esse, quae apud Argivos et Cretenses servata fuisse traditur (Eust. 722 etc.); nec recte Gelbke hanc sententiam, ἐν sibilo detracto ex ἐνς mutilatum esse, ideo respuit, quia, si ν cum ς concurrat, nasalis litera evanescere soleat; nam εἰς et ἐν eodem modo ex ἐνς prodire poterant, quo ῥίς et ῥίν ex ῥινς, μείς et μήν e μηνς etc. Sed aliud est, in quo haereo. Ipsum illud ἐνς hoc modo non explicatur et antiquissima forma certe non ἐνς, sed ἐνι fuisse videtur. Hoc ἐνι locativi munere fungens, et cum accusativo et cum dativo coniungi potuit, et hunc modum Boeoti aliique in usu praepositionis ἐν = ἐνι semper retinuerunt. Alii ut directionem alicuius rei ad aliquid, iam ipso locativo ἐν significatam magis notarent, locativum ἐν suffixo -σε (ἄλλο-σε, κυκλόσε, πάντοσε) auxerunt, ita ut ex ἐν-σε, ἐνς, εἰς, ἐς c. acc. fieret et antiquum ἐν c. acc. ex usu depelleret.

Vix denique memorandum est, praeter hoc ἐν cum accusativo coniunctum etiam vulgare ἐν cum dativo coniunctum usurpari: ἐμ Βελφοῖς Ἀϑ. III, 480, ἐν Ἐρχομενῦ C I. 1569III etc.

De voce ἔππασις iam p. 17 disputavi.

Pro ἐκ, ἐξ praepositione dialectus Boeotica ante consonas forma ἐς, ante vocales ἐςς utitur: ἔςγονος C. I. 1562—69, ἐσσέγραφεν Ἀϑ. IV, 215, ἐς Μωσάων, ἐςς Ἀρχιπτολέμω Ann. Ox. I, 172. Quomodo hae formae explicandae sint, iam vidimus p. 11. Aliae quoque dialecti hac forma ἐς ante consonas utuntur: Arc. ἐσδοτῆρες, ἐσδοκαῦ, ἐσδέλλοντας, ἐς τοῖ ἔργοι, ἔστεισιν (ante vocales ἐξ: ἐξέστω), Thess. ἐσγόνοις, ἐς τάουν ποϑόδουν. — Recentiore aetate etiam in Boeoticis titulis vulgaris forma ἐκ reperitur: C. I. 1569c ἐκ τᾶς.

In titulo C. I. 1569 pro *μετά* bis *πεδά* legitur; in eadem inscriptione *μετὰ Θύναρχον* reperitur; cf. K. ann. 556 *Πεδακλεῖς* pro *Μετακλεῖς*. Eadem forma *πεδά* apud Lesbios nec nunquam apud Dores apparet; sine dubio eadem vox est ac germ. „bit, bët“ pro „mit“ (Müllenh. et Schereri mon. p. 181, Grimm, gram. I, 451). At noli ex his formis *μετά* et *πεδά* concludere *μ* in *π* transiisse quomodo L. Lange in „Ztschr. f. österr. Gymnas. 1863“, utramque formam explicare vult; sed diversas stirpes agnoscendas esse magis mihi probatur.

Praepositio *σύν*, *ξύν* in titulis semper *σούν*, *σύν* scribitur: C. I. 1569 III, Prell. 199, *σουγγράφω*, *σουγχωρεῖσι* C. I. 1569, *συνόδως* B., *συνεβάλονθο* *Ἀθ*. III, 479 etc.

Pro *πρός* Boeotos *ποτί* vel per apocopen *πότ* dixisse iam p. 12 monui; cf. exempla *ποτιδεδομένον* C. I. 1569, *ποδ Δάφνῃ* *Ἀθ*. IV, 211; *ποττώς* III, 479, *ποττάν* B., *ποττάν* K. ann. 516; ante articulum *ποτί* semper apocope affectum esse videtur.

Etiam *κατά* ante articulum finalem vocalem abjicit: *καττό*, *καττάς* C. I. 1569, *καττάμ* 1593, *καττόν* Prell. 199; ante alias voces a consonis incipientes vulgo *κατά* integrum remanet: *κατὰ γᾶν* *Ἀθ*. III, 475, *κατὰ δέ* IV, 210, *κατὰ μεῖνα*, *κατάλυπον* C. I. 1569 etc.; sed confer *καγγᾶν*, *κατθάλατταν* C. I. 1565;

παρά semper fere apocopen patitur: *παρτόν*, *παρτάς*, *παρτάν* C. I. 1569 III, *παρ Διωνύσιον*, *παρ Σώφιλον* 1569 II, *παρκέκλειχε* *Ἀθ*. III, 483, *παρδοθεῖσα* B., *παργινυμένως*, *παργινύωνθη* ib.; in uno *παραμεινάντεσσι* K. ann. 521 apocopen respuit.

Eodem modo *ἀνά* praepositio vulgo apocopen admittit: *ἀνγραψάνθω* B., *ἀντίθητι* Prell. 200, Dech. 1; sed Prell. 199 *ἀνάθεσιν*.

Alio capite Boeticam dialectum cum Aeolica i. e. Lesbiaca minime componi posse demonstrabo, et inscriptiones inde a Keilii collectione repertas colligam.
